P436

APPARATUS AD HISTORIAM COAEVAM

DOCTRINAE INSPIRATIONIS

PENES CATHOLICOS

AUCTORE

CHRISTIANO PESCH S. J.

VERSIO EX ORIGINALI GERMANICO
AB
AUCTORE PROBATA





ROMAE
EX TYPOGRAPHIA *DELLA PACE*, PH. CUGGIANI
Vico *della Pace* Num. 35
1903

18581

LIBRARY

MONITUM

Consideranti mihi colluctantium opinionem indigestam colluviem, quae ab aliquot annis mentes exegetarum biblicorum occupat, opportune occurrit opusculum clari auctoris cui titulus: *Theologische Zeitfragen, von Christian Pesch S. I.-dritte Folge. Freiburg im Breisgau, Herdersche Verlagshandlung,* 1902. Placuit ibi historiam huius commotionis accurate exponi, at simul fines etiam firmiter statui, quos catholicum hominem praetergredi non licet in eiusmodi disceptationibus. Operae pretium igitur esse duxi, si latinam versionem exornari curarem, ut facilius tironibus sacrae Theologiae etiam apud nos usui esse posset; praesertim ut sciant, quale iudicium etiam in ipsa Germania fiat a viris doctrina et eruditione praestantibus circa miros successus illius criticae sublimioris, quam *modernitatis* cultores celebrare non desinunt.

Putavi optimum fore consilium si plurium allegationum textus originalis loco versionis restitueretur; placet enim lectori per se etiam iudicare posse an rite auctorum sententiae pensentur; id autem nullum incommodum allaturum esse censui, cum gallicus sermo satis familiaris sit in Italia fere apud omnes etiam leviter eruditos. Cetera omnia, adnotationes marginales etiam et declarationes, quae nonnunquam allegationibus interseruntur, fideliter sicut in originali germanico suis locis retenta sunt.

FELIX PIGNATARO S. I.

PRAEFATIO

Alibi recensuimus scripta praecipua, quae hac nostra aetate a protestantibus edita sunt, circa doctrinam inspirationis librorum sacrorum (1). Modo praestat inquirere quid catholici scriptores circa hanc quaestionem disseruerint inde ab anno 1890.

Catholici aliquo vero sensu multo minus constringuntur, ubi de Scripturae auctoritate agitur, quam protestantes credentes. Hi enim nullam aliam fidei regulam agnoscunt quam sacra Biblia, haec pro se testimonium reddere debent in eorum opinione, item ex se authentica declarari, sese interpretari ac tueri. Quum protestantes credant Bibliorum auctoritati innixi, eorum systema sustinetur vel corruit prouti auctoritas Bibliorum, eorumque divina origo et immunitas ab errore sustinetur vel corruit. Protestantium dogmata non sinunt extra Biblia ipsa argumenta quaerere ad eorum fulcimentum. Inde angor et anxietas quibus orthodoxi arripiuntur, ubi primum quis examen criticum Bibliorum aggrediatur, etiam secundum eam formam, qua modo extant apud nos. Commotio est tanto maior, quia theologi « critici » sibi tribuunt ius et obligationem illimitate prosequendi criticam biblicam tamquam fructum genuinum spiritus protestantici. Mirum non est proinde, si in eiusmodi adiunctis contentio saepe valde acris fiat.

(1) *Zeitschrift für Kathol. Theologie,* XXV (1901), 452 ss., 594 ss.; XXVI (1902), 81 ss.

Catholici contra agnoscunt Christum ad veritatis revelatae custodiam et transmissionem vivens magisterium instituisse, quod nunc sicut aetate apostolorum integrum et incorruptum servat thesaurum fidei et moralis christianae; quum autem eiusmodi magisterium non sit mortua litera sed ens vivens, non manet omni ope destitutum, simplex obiectum exegetici artificii cuiuslibet, immo valet quavis aetate pro sapientia, amplitudine et extensione quibus praestat, rationem reddere et inquirentibus respondere.

Revelatio christiana scripta est praedicatione orali tempore posterior, et quin ad eam subrogandam ordinaretur, potius a Deo directa est ipsi ecclesiae magisterio, ut eius exercitium facilius redderetur. Motivum fidei nostrae nec testimonium scriptum Bibliorum, neque ecclesiae testimonium proprie est, sed haec nobis viam sternunt, qua ad ipsam primam veritatem perveniamus, cui soli fundamento omni exceptione maiori fides nostra innititur quoad omnia quae ab ea revelata sunt.

Catholicus, quae ad salutem necessaria sunt, antequam N. T. scriberetur, habebat, et adhuc haberet, etiamsi nulla Biblia essent. Fruitur Scriptura sacra tamquam Dei dono, quod non modo quoad gradum sed quoad essentiam aliis scriptis omnibus supereminet, probe vero novit hoc donum ecclesiae traditum esse, ut eo utatur, ipsumque custodiat, atque per hanc custodiam donum eiusmodi tuto servari. Scriptura et ecclesiae magisterium non sunt duae viae parallelae, quae eamdem metam attingant, sed unam eamdemque viam salutis constituunt, quam caelestis aedificator aperuit. Ecclesia pendet a Scriptura, quia nihil potest adversus eam, sed eius doctrinam sequi omnino debet: vicissim Scriptura ab ecclesia pendet, quia custodia et interpretatione eius indiget. Olim a magistris divinitus institutis acceperunt homines singulas Scripturae partes, modo ex magisterio ecclesiae divinitus instituto fideles integram Scripturam recipiunt.

Sicut orale magisterium, ita et verbum Dei scriptum, una cum divino et humanum elementum iuxta habet. Quod humanum est in sacra Scriptura, humanis vicissitudinibus subiacet. Ne tamen per humana in periculum vocarentur ipsa divina, Deus providit magisterium ecclesiasticum infallibile, per quod in tuto collocaretur et ipsa Scriptura.

Hac etiam de causa catholici maiori animi tranquillitate studium elementi humani sacrarum Scripturarum aggredi possunt. Divinitus inspiratam esse ipsam sacram Scripturam, non sacros tantum scriptores, est dogma fidei catholicae. Deus est auctor principalis sacrae Scripturae secundum verum et proprium sensum huius verbi. Quoad hoc nulla opinionum dissensio inter catholicos esse potest. Altera ex parte vero homines rationabiles ac liberi Dei cooperatores fuerunt, ac propterea veri nominis auctores librorum sacrorum. Serius deinde alii homines exemplaria horum librorum multiplicarunt, ac posteris transmiserunt. Ubi homines sunt, humana inveniuntur, et eiusmodi humana circa compositionem, custodiam et transmissionem librorum sacrorum sunt artis criticae obiectum. Artem criticam vero tum secundum criteria externa, tum secundum interna, iamdiu exercuerunt catholici doctores, immo ipsum ecclesiae magisterum, circa libros sacros prout modo apud nos reperiuntur. Ideo igitur textuum criticum examen, finium determinationem inter elementum humanum ac divinum, extensionem ac vim inspirationis aliasque similes quaestiones pacate aggredi licet, quia ad factum quod attinet inspirationis et ad eius essentialem significationem, dubium intercedere nefas est.

Mens est proinde ordinatim uno conspectu proponere varias sententias quas doctores catholici tradiderunt quoad doctrinam inspirationis inde ab an. 1890. Operis divisio secundum varias gentes inopportuna foret, non modo quia doctrina catholica ubique eadem est, sed etiam quaestiones tanti momenti, ut illa est de inspiratione sacrae Scripturae, fere ubique animos fidelium commovere solent, licet non ubique pari vehementia. Scriptores omnes in hac materia enumerare negotium esset pene infinitum; ceteroquin propositum nobis est non quidem notitiam bibliographicam texere, sed breviter et accurate exponere quid operis in hac re contulerint doctores catholici contemporanei, et varias opiniones breviter examinare. Divisionem huius disquisitionis materia ipsa suggeret, eo quod quaestionem secundum diversos aspectus considerare nececesse sit.

I. Nova quaedam schola libere sentiens.

Verbum Dei est infallibile. Propterea sacra Scriptura, in quantum est verbum Dei, nullum errorem continere potest. Animadvertunt tamen Deum non raro inspirare scriptores sacros ut humanos conceptus et humana verba scripto consignent. Sed humana verba infallibilia non fiunt, ex eo quod Deus auctores sacros moveat ad ea scribenda. Quare referuntur in Scriptura verba humana quorum rectitudo dubia est, vel etiam quae manifeste falsa appareant. Id vero non solum quando dictum ut minus rectum ab ipso scriptore exhibetur, ut ex. gr. in casu stultorum hominum mundanorum de quibus fit sermo in libro Sapientiae, sed etiam ubi nullum huius rei indicium appareat, ut contingit in pluribus narrationibus librorum historicorum. Cum autem aliquando sacri scriptores ea quae narrant ex alienis fontibus hauserint, posset mentem subire cogitatio, quoad communicationem rerum pure naturalium, Deum reliquisse scriptores propriae industriae, solum assistentiam praebens ne doctrinam salutis erroribus admixtam traderent. Ecclesiae magisterium infallibilitatem sibi vindicat in rebus fidei et morem tantum, non autem in rebus pure naturalibus. Ita opinetur quis Scripturam infallibilem esse in iis quae spectant ad doctrinam salutis, in iis vero quae ad scientias naturales vel ad historiam pertinent, habendam esse tamquam opus auctoris cuiuscumque aestimatione digni. Haec hypothesis si recipiatur, facile corruunt quamplurimae difficultates quas nonnulli scientiae nomine adversus Scripturam movent.

Reapse in Gallia ortum habuit quaedam *école large*, ita enim vocari consuevit, quae eiusmodi doctrinam profitebatur. Huic scholae (1) voluntarius orator accessit Reviñus d'Hulst, idque effecit pluribus articulis editis ab ephemeride cui nomen *Correspondant* an. 1892, qui postea in unum collecti seorsim editi sunt hoc titulo: *Question Biblique*, Paris, 1893. Referentes eius sensa paginas huius opusculi indicabimus.

(P. 23 ss.). Imprimis excludit inspirationem verbalem et auctoritatem divinam coarctat ad solas res contentas in sacra Scriptura. Sed, inquit, si quaeratur quaenam sit extensio inspirationis rerum, theologi dividuntur in tres ordines videlicet latus dexterum, sinistrum et centrum. Ex sententia eorum qui ad latus dexterum pertinent, Deus auctoritatem suam tribuit singulis Scripturae verbis eo sensu quo prolata sunt. Iuxta sinistri lateris asseclas, nullus est error in Bibliis, quod attinet res fidei et morum, in aliis vero defectus non excluduntur (p. 24). Qui vero media via incedere malunt, latiorem quemdam usum conceptus inspirationis concedunt, et praeferunt moderatam concordiam ad relationes definiendas inter sacram Scripturam et scientiam (p. 43 ss.).

Rationes quibus innituntur sinistri ordinis asseclae ita exponuntur (p. 25 ss.):

1. Extensio inerrantiae, quae inspirationem consequitur, censeri debet ex Bibliorum scopo. Biblia vero ordinantur in auxilium hominis, ut finem supernaturalem consequatur. Propterea inspiratio cum certitudine asseri potest solummodo quoad *res fidei et morum.*

2. Ecclesia decrevit Vulgatam esse versionem authenticam. Haec vero authenticitas certo solum ei tribuitur in iis quae sunt fidei obiectum. Cur igitur infallibilitas Scripturae eosdem fines non agnosceret?

Decretum concilii Vaticani mentionem facit de rebus fidei et morum tantummodo. Etiamsi sacra Scriptura inspirata sit quoad omnes suas partes, opus non est per inspirationem omnibus partibus eamdem infallibilitatem communicari.

(1) Licet vox illa « schola » parum idonea videatur, tamen eam retinuimus, quia ipsam invenimus in scriptis de quibus agendum est.

(P. 26). Refertur dictum illud Baronii: « Biblia inspirata sunt ut doceant, non quidem quomodo caeli moveantur, sed quomodo quis ad caelum pervenire valeat ».

Recens quidam scriptor omnino orthodoxus, Can. Didiot, scribit: « Si la Bible était regardée par l'Église comme objet de foi jusque dans les moindres détails d'ordre purement scientifique, elle devrait aussi être imposée par elle comme guide infaillible dans les recherches du même ordre. Or cette conséquence, évidemment nécessaire, est en opposition avec la conduite officielle du Saint-Siège ».

Ex his vero infert: « L'Église, exposant dans les conciles son autorité d'interprète infaillible des Écritures, l'applique ou la suppose toujours appliquée aux choses de foi et de morale, mais elle ne l'applique pas aux autres; et il est bien peu probable, ce semble, que Dieu ait fait la Bible infaillible en des points, en des sujets, où l'Église ne le serait pas, ou du moins ne prétendrait pas l'être. Il est difficile de croire que l'infaillibilité du gardien soit moins ample que celle du trésor à garder » (1).

(P. 31). Si haec theoria recta est, quinam erit usus libertatis per eam comparatae? Eam solum applicari animadversionibus parvi momenti (penulam S. Pauli ex. gr.), ut opinabatur cardinalis Newman, nihil confert ad solutionem graviorum difficultatum. Alii proinde conati sunt usum huius theoriae extendere iis Scripturae effatis, quae respiciunt res pure naturales vel historicas (sex dies creationis, priorum temporum historiam). Naturalis quidem scientia, ut talis, nullam relationem habet ad aeternam salutem, sed de historia hoc non ita simpliciter affirmari potest, cum historia lapsus generis humani et redemptionis pertineat ad articulos fundamentales fidei nostrae.

Imprimis vero non est necesse omnia, quae in Scriptura sub forma historicae narrationis exhibentur, historiam proprie dictam censeri, potest enim doctrina fidei vel morum tradi per modum historiae alicuius. Ita forte aestimari debent liber Iob et Ruth et etiam nonnulla adiuncta narrationis lapsus protoparentum. Facta eo modo quidem quo narrantur contingere potuerunt, sed

(1) Ex opere *La Logique surnaturelle subjective*, p. 103.

hoc non constat. Gravior quaestio exsurgit quoad historiam patriarcharum, quae videtur pertinere ad integritatem oeconomiae supernaturalis revelationis. Sed *l'école large* etiam hic censet delectum haberi posse.

(P. 32 ss.). Franciscus Lenormant docet in praefatione operis cui titulus: *Origines de l'histoire d'après la Bible*, in Bibliis omnia esse inspirata sed non omnia revelata. Deum inspirasse Moysen, ut in suam narrationem inscreret circa creationem et primaeva tempora, traditiones vetustas, quae diu ante ipsum exsistebant. Propter hoc autem nulla mutatio contingebat quoad earum characterem historicum vel legendarium. Narratio inspirata vero differt a similibus narrationibus aliorum populorum solum ob conceptum unitatis Dei; veteres enim fabulae nobis in Scriptura exhibent ideas purissimas religiosas et morales; id Deo auctori tribuendum, non autem immutatio mythi in historiam.

(P. 34 ss.). Liber Lenormant in indice librorum prohibitorum inscriptus est. Attamen: « La mise à l'*index* n'est pas toujours la condamnation d'une doctrine, c'est une prohibition de lire tel livre. Cette prohibition peut être motivée, dans l'esprit de la Congrégation qui la prononce et du Pape qui la sanctionne, soit par des erreurs doctrinales, soit par des témérités et des imprudences qui rendent la lecture de l'ouvrage dangereuse au commun des fidèles, soit par une simple inconvenance de ton ou d'accent, soit enfin par des circonstances d'opportunité. Or ces motifs ne sont jamais exprimés. On est donc réduit aux conjectures ». Licet igitur opinari opus Lenormant prohibitum esse ob periculosam inopportunitatem vel ob concessiones nimis graves. Inopportunitas autem cessat ob scientiae progressum, exaggerationes vero resecari possunt. Et eo in casu adhuc subsisteret hypothesis, narrationes pure humanas inspirari posse, quin ex eo absolute verae censeri debeant.

(P. 35 ss.). Eiusmodi hypothesis videbitur forte novitatem aperte sapere: « Mais, sans prétendre prendre partie entre les deux écoles, nous devons faire connaître par quelles considérations les partisans de l'école la plus large se défendent du reproche d'hétérodoxie que leur prodiguent leurs adversaires ».

Assertum esse novum, facile intelligitur, nam documenta ex quibus auctor Geneseos suam narrationem hausit, nunc primo in-

venta sunt. Ceterum non est ita nova sicut aetate S. Augustini eius interpretatio operis sex dierum.

Sed, dicitur, ita errores in Scriptura admittuntur, quod cum inspiratione non convenit. Non convenit? Utique, in quantum influxus inspirationis extenditur. Porro hoc reapse in controversiam venit. Nequit enim asseri a priori Deum auctoritatem suam communicare iis omnibus quae ab auctore humano sub impulsu divino dicuntur, potest enim influxus qui errores praecavet, coarctari ad res fidei et morum. Spiritus Sanctus non prohibuit errores literarios quoad grammaticae leges, stilum, et formam literariam (gusto). Permittit igitur humanos defectus. Cur non posset similiter agere in rebus pure historicis? Non raro apud plures homines maioris fit defectus stili vel exquisiti iudicii, quam historiae error. In nostra hypothesi veritates religiosae et morales in tuto sunt. Si placeat solum huiuscemodi veritates tueri, iam cessant contentiones circa res, quae per se ad aeternam salutem nullum respectum habent. Si Deus noluit per Biblia docere nos res naturalis ordinis, nec dici potest eum in his nos decepisse.

(P. 39 ss.). *Sed, ubi arti criticae examen Bibliorum permittatur, quinam erunt fines?* Nonne novas in dies concessiones exiget, ita ut tandem in rationalismum cum Wellhausen et Kuenen incidere oporteat? Minime, hi enim praeiudicium illud statuunt ut omnis inquisitionis principium, supernaturalem ordinem non exsistere, ac propterea omnem descriptionem facti, quod vires naturae superare videatur, necessario falsam esse. Nos vero exsistentiam ordinis supernaturalis retinemus, et solum negamus nonnullos Scripturae textus veram historiam narrare, ex eo quod difficile vel nullo modo conveniunt cum aliis Scripturae textibus, vel etiam cum factis aliunde historice certis.

Ecclesiae auctoritatem item agnoscimus, et fines quos ipsa statuit, sancte servabimus. Non equidem censemus Scripturam debere ex se suam tutelam suscipere, uti protestantes, ita dicti orthodoxi, opinantur. Ubi error forte contigerit, ecclesia eum condemnabit, et nos eius iudicio obsequentes erimus. Post interdictionem operis Lenormant plura alia scripta edita sunt, quae similes speculationes tuentur. Roma vero siluit.

(P. 41). « Le jour où le Saint-Siège viendrait à le rompre (ce silence), il n'y aurait qu'une voix parmi les enfants de l'Église pour accepter sa direction doctrinale. Mais plus d'un indice nous fait supposer que le moment de cette intervention n'est pas très prochain. L'exégèse orthodoxe semble traverser actuellement une période de transition. Les ennemis de la Révélation ayant changé la direction de leurs attaques, il y a lieu de modifier aussi l'économie de la défense, et l'on sait qu'un sage pilote évite de compliquer par des manœuvres accessoires l'opération toujours délicate d'un virement de bord. Tandis que la critique rationaliste trouve en Allemagne des interprètes de plus en plus téméraires qui perdent leur cause à force d'excès, la société catholique est travaillée par un renouveau d'activité scientifique qui se manifeste principalement dans le monde anglo-saxon des deux côtés de l'Atlantique. La France suit; l'Espagne et l'Italie sont encore en retard. Mais on connaît les sympathies du Saint-Siège pour l'esprit d'initiative hardie et féconde qui caractérise les fortes races de langue anglaise, et qui se manifeste à la fois sur tous les terrains: études sociales, études historiques, études sacrées. Rome sait ce qu'un brusque arrêt de ce généreux élan pourrait causer de trouble dans les consciences, ce qu'il accumulerait d'obstacles sur la voie du retour à l'unité où s'acheminent les parties les plus saines du protestantisme anglo-américain. Encore une fois nous pouvons nous tromper: et si le Pape vient à parler, la cause sera entendue. Mais nous ne croyons pas qu'il parle de sitôt. Et tant qu'il se tait, les adversaires de certaines opinions peuvent les combattre par des raisons: il ne leur appartient pas de les condamner » (1).

(1) Contra Revûum d'Hulst scripsere Brucker (*Études religieuses*, LVIII, Paris, 1893, 360 ss.); Jaugey (*La Science catholique*, VII, Paris, 1893, 234 ss.); Grandclaude (*La Question biblique*, Paris, 1893) et alii. Aggressus est defendere l'*école large* Savi (*La Science catholique*, 1893, p. 289 ss.), ei respondit Jaugey (ibid., p. 301 ss.).

II. Litterae Summi Pontificis.

Opusculum Revmi d'Hulst gerit notam anni 1893. Eodem anno d. 18 Novembris dabantur litterae apostolicae encyclicae *Providentissimus Deus* de studio sacrae Scripturae.

Haec Encyclica directe non agit contra asseclas *école large*. Scopum habet potius positivum, promovere scilicet et extollere studium sacrae Scripturae praesertim in clericorum athenaeis.

« Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum opera atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant » (1).

(1) Sanctissimi Domini Nostri Leonis d. P. Papae XIII Litterae Encyclicae, de studiis Scripturae sacrae, Romae 1893, (typis vaticanis),

Dein media singillatim indicantur ad eiusmodi consilium exsequendum utilia.

« Itaque ea prima sit cura (episcoporum), ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet » (1).

Sequuntur monita quaedam circa studium introductionis et hermeneuticae biblicae, et dotes amplificantur, quae in professoribus sacrae exegesis requiruntur.

« Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum » (2). Id imprimis aestimandum est necessarium ad rectam sacrae Scripturae interpretationem.

« Iam, quibus praesidiis ad defensionem (sacrae Scripturae) nitendum, commoneamus. Est primum in studio linguarum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum... Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exa-

pag. 6 sq. Huius encyclicae idoneum commentarium edidit Didiot: Traité de la S. Écriture d'après S. S. Léon XIII. Paris 1894. Liber continet textum, versionem et commentarium.

(1) L. c., pag. 19 ss.

(2) L. c., p. 25.

rati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis laudabiliter receptum est, de ceteris item antiquis linguis maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur » (1). Praeterea « Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones (a nonnullis harum scientiarum cultoribus) in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat » (2).

Maior Encyclicae pontificiae pars directiones et monita huiusmodi continet, ita a vero aberraret qui ei characterem negativum unice vel praecipue tribueret, refutationis scilicet alicuius particularis doctrinae vel alicuius methodi. Nihilominus dubitari nequit, decretum illud Roma egressum, quod Revmus d'Hulst putabat verosimilius non esse proxime expectandum, reapse hac encyclica epistola pronuntiari. Id evidenter patebit, si duo loci adhuc inspiciantur.

« Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis (ex scientiis naturalibus et ex historia desumptis) difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrantur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur *quam ob causam* ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse... Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum

(1) L. c., pag. 31 ss.
(2) L. c., pag. 33.

excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae... Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minusquam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores locutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse » (1).

His verbis duplex opinio reiicitur: tum ea quae inspirationem coarctat ad certas Scripturae partes, tum etiam quae asserit inspiratione errorem praeverti in rebus fidei et morum tantum, non autem in iis quae ad salutem non pertinent.

Cum haec postrema opinio propria esset cultorum scholae laxioris (*école large*), haec schola decreto S. Sedis plectitur. Docent utique theologi catholici non omnem epistolam encyclicam esse definitionem ex cathedra; at simul omnes conveniunt, ubi in aliqua controversia theologica Roma uni partium pondus suae auctoritatis adiecerit, probabilitatem contrariae opinionis eiusque victoriae spem multum imminui. Si placeat deincemps talem opinionem tueri, non quidem adversariis, sed eius cultoribus onus incumbit rationes adducendi, et eas quae assensum extorqueant. Usquedum eiusmodi demonstratio non fiat, qui tuentur inspirationem extendi ad omnes Scripturae partes atque omnem errorem praecavere, legitimo iure possident. Etiam antea vero legitime possidebant, quia traditioni rite innitebantur, et adversariorum obiecta sufficienter solvebant, at nunc eorum parti novum robur accessit (2).

(1) L. c., pag. 36 ss.

(2) Id multo magis affirmari licet per litteras pontificias d. 25 Novembris 1898 ad Ministrum generalem ordinis Fratrum Minorum, quae sine dubio acerbiorem sententiam produnt:

« Dein nihil esse vides, quod fidei christianae tam vehementer intersit, quam explanari probe ac fideliter, ut oportet conscripta divino

Nihilominus non dissimulat Pontifex graves difficultates, quae occurrunt, ubi quis absolutam Bibliorum infallibilitatem tueatur; imo eas tanti facit, ut eos omnes hortetur, qui ingenii acumen ad hoc necessarium a divina Providentia nacti sunt, solutioni harum difficultatum adlaborare.

« At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit expectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiae deest; atque utinam in Ecclesiae subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qui in laudata aliqua praestant facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, quum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. Quoniam igitur tantum

Spiritu afflante volumina. Habenda ratio et diligentia est in re tanti momenti, ne quid, non modo superbia, sed ne levitate quidem animi imprudentiave peccetur: in primisque ne plus aequo tribuatur sententiis quibusdam novis, quas metuere satius est, non quia novae sunt, sed quia plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri. Adamari hac illac coeptum est, vel a quibus minime debuerat, genus interpretandi audax atque immodice liberum: interdum favetur etiam interpretibus catholico nomine alienis, quorum intemperantia ingenii non tam declarantur sacrae litterae, quam corrumpuntur. Cuiusmodi incommoda in malum aliquod opinione maius evasura sunt, nisi celeriter occurratur. Omnino postulant *eloquia Dei* a cultoribus suis iudicium sanum ac prudens: quod nullo modo potest esse tale nisi adiunctam habeat verecundiam modestiamque animi debitam. Id intelligant ac serio considerent, quique pertractant divinos libros: iidemque meminerint, utique habere se quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant Ecclesiam ut debent. Nec silebimus, Nos ipsos per Litteras *Providentissimus Deus*, quid hac de re sentiat, quid velit Ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis maximi negligere, catholico homini licet nemini » (Acta S. Sedis, XXXI, [Romae], 264 ss.).

ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum quae Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria repellant » (1). Speciatim dein commendatur erectio societatum scientificarum, quibus ad haec studia necessaria adiumenta provideantur.

Nec satis habet directionem generalem tradere quoad difficultates et quad modum eas superandi ; sed etiam certa momenta singillatim detegit.

Imprimis vindicatur infallibilitas omnis textus authentici sacrae Scripturae (in locis authenticis librorum sacrorum), h. e. librorum sacrorum prouti ab hagiographis scripti sunt (divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt). At profecto textus ille originarius non est undequaque identicus cum eo quem modo retinemus, sive graece sive hebraice, sive in vulgata latina vel in alia veteri vel recentiori versione. Nullum textum nullam versionem habemus, de qua asserere liceat, eam repraesentare fideliter sensum textus originalis etiam in minimis suis partibus.

Loci quidam occurrunt, qui critice incerti apud omnes habentur. Exemplo sit lectio versiculi 51 capitis 15 epistolae prioris ad Corinthios, quae inde ab aetate s. Hieronymi (ep. 119) uti dubia perhibetur; ac proinde hic vulgatae versus argumentum firmum praebere nequit, etsi agatur de re, quae ad fidem pertinet. Omnes catholici exegetae admittunt in quibusdam textibus corruptionem aliquam occurrere quoad numeros, nomina propria, transpositiones et inversiones partium et phrasium, additamenta et interpolationes posteriores. Frustra e. gr. laborant qui ex Bibliis aetatem generis humani certo determinare satagunt. Hac de causa artis criticae usus circa textum necessarius est, ubi quis definire certo velit, quid inspiratum sit. Quoad hoc minus difficile negotium praebet N. T., etiamsi hic etiam, ubi ad particularia deveniatur, ambigua non desiderentur, licet ut plurimum non in rebus magni momenti. Ad versionem LXX et textum hebraicum quod attinet,

(1) Sūi D. N. Leonis XIII, Litterae, etc., pag. 39 ss.

difficultates tam graves occurrunt, ut nescias quid primum aggrediaris. Ideo concilium Tridentinum, ut evitaret difficultates criticas, ex principiis dogmaticis definivit vulgatam habendam esse ut versionem authenticam.

Tamen dubia haec critica non oportet amplificare, ac si nihil aliud nobis reliquum esset nisi coniecturalis quaedam notitia originalis textus sacrorum Librorum. Non modo enim quoad N. T. sed etiam quoad vetus nos possidere sensa essentialia librorum sacrorum in comperto est. Licet non semper evidenter pateant limites, qui secernunt id quod essentiale est a non essentiali, seu totum quod incorruptum est, a particulis fluctuantibus.

Arbitrariae coniecturae eiusmodi obscuritatem profecto augerent, non minuerent. Et ideo animadvertit Pontifex: « Fieri quidem potest ut quaedam librariis (idem valet quad interpretes) in codicibus exscribendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum nec facile admittendum sed pro singulis casibus demonstrandum » (1).

Praeterea constat librarios nonnunquam textum non ex inadvertentia sed consulto immutasse, neque id semper mala fide contigisse, sed etiam pia mente. Ita ex. gr. plures variantes lectiones ex eo originem ducunt, quod librarii locutionibus antiquatis et minus cognitis substituerent usu recepta, et magis notas (2). Valde simplex esset, qui putaret vocabula singula et sententiarum structuram sacrae Scripturae per annos centenos, immo ex parte per millenos a librariis scripto consignata fuisse, quin ulla immutatio in eis contigerit, ita ut modernus textus masoreticus habendus sit quasi exemplar photographice expressum a primitivo textu originali. Itaque si interdum critici tam confidenter diiudicant quinam textus ob voces et structuram quam praeseferunt, vetustiores sint, quinam vero recentiores, hae conclusiones saepe labili fundamento innituntur. Si porro animadvertamus media linguistica pauca suppetere, quae inservire possint comparationi textus hebraici, debemus asserta nonnulla eo cautius accipere, quo fidentius pronuntiantur. Nam etiam hic demonstratione opus est, assertio sola non sufficit.

(1) Sñi D. N. Leonis XIII, Litterae, etc, pag. 36.
(2) Cfr. Lagarde, Symmicta I, 68 ss.

Alium errorum fontem Encyclica praecavere iubet, quum monet non esse uti certas asserendas interpretationes textus Scripturae, quae dubiae sunt, nec ex profanis fontibus uti certum recipiendum quod dubium est (1). Ubi theologus aliquis uti unicum textus Scripturae sensum tueatur aliquid, quod serius falsum demonstratur, non fallitur Scriptura sed theologus ille: talis tamen inscitia causa est, cur aliquid Scripturae vitio vertatur, cuius culpam non habet. Huc eorum error pertinet qui censebant totidem formulas scientificas esse, accurate exhibentes ipsa facta obiectiva, locutiones quasdam vulgari usu receptas (solem oriri ac occidere et similes), quae in Scriptura occurrunt. Eiusmodi loquendi modis uti communi sermone nec error est, nec per se in errorem inducit; error quidem esset eius qui putaret in his locutionibus scientiae propria vocabula inveniri. Si hanc obviam distinctionem homines prae oculis semper habuissent, plures inutiles controversias et difficultates vitassent.

Propterea prosequitur encyclica: « in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura (2) »; quare eos potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam traslationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent », seu quae Deus ipse, ho-

(1) L. c., pag. 54 ss. Ibidem allegatur auctoritas s. Thomae qui inter alia docet: « In huiusmodi quaestionibus (quae sunt obiectum etiam naturalium scientiarum) duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur ». (*Sum. theol.*, 1 q. 68, a. 1).

(2) S. Augustinus de Gen. ad litt., II, 9, 20.

homines alloquens, ad eorum captum significavit more humano» (1).

Neque tamen ideo convenit, quoties aliquis « scientiae postulatum » sibi arrogat, obvium Scripturae sensum deserere et sacro textui cavillosis interpretationibus vim inferre (2).

Praeterea ubi conclamatur Scientia! Scientia! non semper agitur de vera scientia. Rationalistae sublimioris criticae cultores iam tot ineptias obtentu scientiae nobis commendarunt; ut suorum discipulorum nonnulli rem sedulo considerare incipiant, et facile conspiciantur receptui canere quodammodo. Encyclica circa criticam sublimiorem, non quidem generatim, sed eam, quae Scripturae adversa est, severum iudicium profert; quod quamvis moleste tulerint critici, non ideo minus verum est.

« Perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis, internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae caeteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda; illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus reli-

(1) Sm̃i D. N. Litterae etc., p. 34, cum citatione S. Thomae ex *Sum. theol.*, I, q. 70, a. 1 ad 3.

(2) Hoc ridet A. Houtin in suo libro cui titulus: *La question biblique chez les catholiques de France au XIX^e siècle* (Paris 1902), ubi enarrat miros conatus, quos nonnulli apologetae et exegetae galli moliti sint, ut Biblia cum scientia contemporanea ad concordiam adducerent. Id vero in hoc libro minus iuste agitur quod in unam quamdam deformem imaginem coniunguntur disquisitiones probe scientificae et tentamina pseudo scientifica, ut risus materia praebeatur, potius quam veritatis notitia promoveatur. Nihilominus usui esse potest, tamquam monitum pro iis, qui studiosius promovent « novam formam aetati nostrae accomodatam » theologicarum disciplinarum. Ille enim reapse demonstrat scientiam in dies novam semper speciem induere, et maxima cautione opus esse, ne si theologia cedat exigentiis scientiae hodiernae, exponatur cachinnis discipulorum scientiae modernioris. Etsi auctor intentionem contrariam habuit, mirifice ostendit, conservativam agendi rationem, quam Roma secuta est adversus eiusmodi innovandi pruritum, omnibus modis rectam fuisse.

gionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant: illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem sectentur: inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae» (1).

Tamquam ulteriores inspirationis adversarios pontificia Encyclica denuntiat incredulos cultores scientiarum naturalium. Isti enim errata in Bibliis detegere conantur, ut ea vulgo ridicula efficiant (2).

Tertia adversariarum series invenitur inter eos: «qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque eâ probe discussa, vel parem abnuunt fidem» (3).

De quaestione illa circa errores quos in Bibliis deprehendi asserunt in re scientifica vel historica, infra accuratius agendum erit. Interim sufficiat mentionem facere principii generalis, quod secundum encyclicam in omnibus tentaminibus, quae adhibentur ad vincendas difficultates, quas contra Scripturam obiiciunt, a priori valorem inconcussum habere debet.

«Fideliter teneant (eruditi), Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theo-

(1) L. c., pag. 32.
(2) L. c., pag. 33.
(3) L. c., pag. 35 ss.

logorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptatur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse: neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere: item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in aeternum. III Esdrae 4, 38 » (1).

Encyclica igitur omnimodam libertatem scientificae investigationi relinquit, vult autem catholicam doctrinam censeri quasi sanctuarium, contra quod nefas sit manum extendere.

III. Assentientes et obluctantes.

Revñus d'Hulst promiserat iam se libenti animo obsequuturum, si quod iudicium Roma proferret, quibus promissis stetit. Ut rector facultatis theologicae (2), in catholico Athenaeo Parisiensi, prior subscripserat litteris, quibus professores decuriales profitebantur se adamussim obsecuturos esse documentis, regulis ac monitis in litteris pontificiis contentis, praesertim quoad textus inspirati sacrae Scripturae immunitatem ab errore. Quin immo nec his acquievit Revñus d'Hulst, sed specialem epistolam dabat d. 22 Decembris 1893 cuius haec sunt sensa:

« Votre Sainteté a reçu une Adresse portant la signature de tous les Professeurs de notre Faculté de Théologie et la mienne, et dans laquelle nous exprimons notre plaine et filiale adhésion

(1) L. c., pag. 40 ss.

(2) In documento originali legitur: Rector ac professores Facultatis Theologicae, Lutetiae Parisiorum apud Catholicam Universitatem canonice institutae.

à tous les enseignements, directions et conseils contenus dans l'Encyclique: *Providentissimus Deus*, notamment en ce qui concerne les effets de l'inspiration divine qui s'étend à toutes les parties de chacun des Livres Canoniques de la Sainte Écriture, de manière à en exclure toute possibilité d'erreur. Je n'aurais pas la témérité d'ajouter à cette Adresse de soumission une lettre personnelle si le souvenir des bontés que Votre Sainteté a eues pour moi ne m'en faisait un devoir.

Je ne puis oublier en effet quel accueil paternel Vous avez fait, Très Saint Père, à mes déclarations, dans l'audience privée que Vous m'avez accordée au mois d'avril dernier. Je vous disais que dans mon étude, publiée par le *Correspondant* sur la *Question Biblique*, je n'avais pas prétendu exprimer des opinions personnelles, mais seulement exposer les difficultés que soulèvent autour des Livres saints les travaux de la Critique moderne et les diverses hypothèses que des Auteurs Catholiques ont présentées pour les résoudre. — Parmi ces hypothèses il en est une que je considérais comme une opinion libre jusqu'à ce que le Saint-Siège se fût prononcé: c'est celle qui limite aux matières de foi et de morale la garantie d'inerrance absolue résultant du fait de l'inspiration. Je reconnais volontiers que la dernière partie de l'Encyclique ne permet plus de penser ainsi. Et c'est avec une vive reconnaissance que j'accepte cette direction donnée à tous les catholiques et à moi-même par Votre Sainteté sous une forme si bienveillante. J'avais entendu dire en effet que plusieurs théologiens auraient voulu faire condamner sous mon nom l'opinion dont il s'agit, bien que je ne me la sois pas appropriée et que je l'aie seulement rapportée. L'Encyclique fait l'accord sur la doctrine sans frapper les personnes, ainsi que Votre Sainteté avait daigné me le faire espérer dans l'audience que je rappellais tout à l'heure. Je me sens pressé, Très Saint Père, de vous en exprimer ma filiale gratitude en même temps que je vous renouvelle l'assurance de ma parfaite obéissance. — Dans l'espoir que Votre Sainteté aura pour agréable cette manifestation de mes sentiments... ».

Tum episcopi Angliae, Scotiae et Helvetiae, tum theologica collegia plurima atque viri ecclesiastica dignitate conspicui gratiarum actiones et assensum Papae significare curarunt.

Tamen accidit, nec inopinato, doctos viros nonnullos, qui liberiori opinandi rationi indulserant, nonnihil animo permotos fuisse. Exempli causa indicare libet A. Loisy, qui inter « liberioris scholae » asseclas audacia opinionum eminuerat. Scripserat enim in ephemeride *Enseignement biblique* (1):

« L'inerrance de la Bible ne peut impliquer la vérité absolue de tout son contenu et de toutes ses propositions, quel que soit leur objet. Un livre absolument vrai, pour tous les temps, dans tous les ordres de vérité, n'est pas plus possible qu'un triangle carré. Un livre, même divin, est toujours un livre; destiné aux hommes, il est encore nécessairement un livre humain. Un livre absolument vrai pour tous les temps serait, s'il pouvait exister, inintelligible pour tous les temps... L'idée que la Bible serait en accord positif et permanent avec tous les résultats de toutes les sciences, naturelles et historiques, est trop évidemment contredite par les faits pour qu'un critique, abordant l'étude de la Bible sans préoccupation théologique, puisse ne pas la rejeter. Dans l'application, cette idée aboutit à une contradiction palpable, parce que l'on s'en autorise pour déterminer la signification et la portée des textes avant d'en examiner critiquement le contenu. Bien loin qu'une telle conception soit un article de foi, ce n'est pas même une doctrine théologiquement autorisée (2). Rien dans les documents scripturaires et traditionnels ne prouve que Dieu ait voulu faire aux écrivains sacrés ou mettre dans la Bible une révélation scientifique;... La question de savoir en quel sens et dans quelle mesure la Bible est vraie, n'a été traitée *ex professo* ni dans la Bible ni dans l'ancienne tradition... La Bible est un livre ancien, un livre écrit par les hommes et pour des hommes, dans des temps et des milieux étrangers à ce que nous appelons la science... On dit, il est vrai, qu'une révélation scientifique n'était pas nécessaire pour éviter les erreurs scientifiques, parce que l'Esprit-Saint aurait

(1) Mensibus Novembri et Decembri 1893. Quum haec scripta iusti voluminis formam nacta sint et seorsim publici iuris facta sub titulo: *Études bibliques* (Paris, 1901), huius libri paginas in recensione indicabo.

(2) Vix opus est animadvertere neque catholicos exegetas illos, quos « conservatores » vocitant, inerrantiam Scripturae reapse hac ratione amplificare. Sed de hoc inferius redibit sermo.

guidé les écrivains, sacrés de telle sorte que, tout en partageant les idées populaires sur le système du monde, et les habitudes littéraires de leur temps, ils n'auraient jamais risqué une assertion contraire à la vérité des choses. Mais il suffit, pour savoir à quoi s'en tenir, de regarder le texte biblique et de voir à quelles échappatoires la théorie de l'inerrance absolue de l'Écriture réduirait sur certains points notre apologétique... Pour chercher dans la Bible trop de vérité, l'on s'expose à y trouver beaucoup d'erreurs. L'inspiration des Écritures est à concevoir comme un concours divin dont le but a été de préparer à l'Église une sorte de répertoire pour l'enseignement religieux et moral » (1).

Quum encyclica edita esset, perturbatio quaedam animum Loisy primo occupavit. Ante duos annos susceptam editionem ephemeridis *Enseignement biblique* deseruit, rationem reddens per haec verba: « Editor ephemeridis filiali obsequio prosecutus novissima monita Summi Pontificis Leonis XIII sibi opus esse sentit quieto labore se recolligere ». Cuius recollectionis fructum quemdam aestimare licet quae ipse his verbis exprimit: « On remarquera que la majeure partie de l'Encyclique de Léon XIII sur l'Écriture Sainte est consacrée à recommander les études bibliques et à tracer la méthode qu'on doit suivre en s'y appliquant. La question théologique de l'inspiration y est traitée de façon très sommaire. Le pape, affirmant avec autorité la doctrine traditionnelle de l'Église, a enseigné simplement que la Bible est inspirée tout entière et qu'elle ne contient pas d'erreurs. Au fond, l'Encyclique *Providentissimus Deus* n'a pas modifié l'état de la question théologique; elle n'a fait que la formuler clairement. La liberté de l'exégèse catholique n'a été ni augmentée ni diminuée par les déclarations pontificales » (2).

Serius, postquam editae sunt litterae Papae ad ministrum generalem fratrum minorum, et ad clerum gallicanum, visus est Loisy iterum animum amisisse.

In litteris encyclicis ad clerum gallicanum d. 8 Sept. 1899 legitur inter alia: « Au sujet de l'étude des Saintes Écritures, Nous appelons de nouveau votre attention, Vénérables Frères,

(1) *Études bibliques*, p. 51 ss.
(2) Ibid., p. 38.

sur les enseignements que Nous avons donnés dans Notre Encyclique *Providentissimus Deus*, dont Nous désirons que les Professeurs donnent connaissance à leurs disciples, en y ajoutant les explications nécessaires. Ils les mettront spécialement en garde contre des tendances inquiétantes, qui cherchent à s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prévaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration et le caractère surnaturel. Sous le spécieux prétexte d'enlever aux adversaires de la parole révélée l'usage d'arguments qui semblaient irréfutables contre l'authenticité et véracité des Livres Saints, des écrivains catholiques ont cru très habile de prendre ces arguments à leur compte. En vertu de cette étrange et périlleuse tactique, ils ont travaillé, de leurs propres mains, à faire des brèches dans les murailles de la cité qu'ils avaient mission de défendre. Dans Notre Encyclique précitée, ainsi que dans un autre document, Nous avons fait justice de ces dangereuses témérités. Tout en encourageant nos exégètes à se tenir au courant des progrès de la critique, Nous avons fermement maintenu les principes sanctionnés en cette matière par l'autorité traditionnelle des Pères et des Conciles et renouvelés de nos jours par le Concile du Vatican » (1).

De hac encyclica scribens Després (i. e. Loisy) in ephemeride *Revue du Clergé français*, 1 Iunii 1900, consternatus apparet, et tandem his orationem claudit: Critici catholici « Croyant à la necessité d'une renovation de l'exégèse catholique, ils ont cru à sa possibilité, et il se sont mis en devoir de l'effectuer. Leur volonté a été généreuse, bien que le fruit de leurs efforts paraisse maintenant detruit. Ils se conformeront, selon leur conscience, aux directions pontificales; et l'avenir seul pourra dire à quoi leurs travaux auront servi ».

Non erat autem sufficiens causa huius animorum deiectionis, dummodo Loisy in memoriam revocet, quod aliis indicaverat, negotium scilicet non agi utrum omnia effata « Sublimioris criticae » recipienda adamussim essent an reiicienda, sed potius ut

(1) *Acta S. Sedis*, XXXII, pag. 202.

qui biblica studia aggrederetur, prae oculis haberet hanc criticam eiusque asserta ac demonstrationis tentamina :

« Ceux qui se sont demandé avec une certaine anxiété si l'Encyclique *Providentissimus Deus* ne rend pas ce travail plus difficile ou bien même si elle ne défend pas comme attentatoire à l'autorité de l'Écriture, se troublent certainement à tort. L'Encyclique ne défend pas, elle recommande, au contraire, d'étudier à la fois l'histoire des textes bibliques et le témoignage de la tradition, le caractère propre des différentes parties de l'Écriture, les procédés suivis dans leur composition, les nuances particulières que présente la pensée des écrivains sacrés. L'Encyclique réprouve seulement les abus d'une critique audacieuse, qui sans s'occuper de la tradition autrement que pour la contredire, s'adonne à l'examen des Livres saints afin d'improviser des hypothèses téméraires au sujet de leur origine, et des interprétations compromettantes pour leur autorité (1) ».

Si res ita se habeat, non apparet, cur Loisy aliique exegetae catholici, qui studio sacrorum librorum critica ratione praesertim incumbunt, coarctari se sentiant monitis Summi Pontificis.

Praecipuum Loisy erratum est defectus perspicuae enuntiationis principiorum criticorum et exegeticorum. Dissidentia adiuncta simul coacervare, indeterminatas et versatiles enuntiationes proferre, quas hoc vel alio sensu accipere potes, uno verbo, mira quaedam logicae et stili litterarii vitia, censentur esse causa, qua plures ex iis, qui alias non multum alieni sunt ab ideis Loisy, prohibentur quominus indivisim illas omnes recipiant, quaque ii in sua sententia confirmentur, qui hac nova rerum directione grave discrimen puritati fidei catholicae creari putant (2). Si positiva scientia ducem non habeat animum philosophicis disciplinis rite instructum, eo maius imminet errandi ac labendi periculum, quo maior est notitia propriae eruditionis, et ideo fiducia qua quis ei inniti posse putat.

Catholici theologi maiori ex parte Encyclicam cum gaudio exceperunt, alii ad minus reverenti obsequio. Interea etiam inter catholicos haberi contigit nonnullos qui, ut Pius IX olim aiebat,

(1) *Études bibliques*, p. 49 ss.
(2) *Études religieuses* (*Revue*, Paris), LXXXIX (1901), 446.

« blaterantes contra Apostolicae Sedis decreta » (speciatim qui merito aut immerito catholici liberales [liberales sensu theologico] vulgo dicuntur) parati quidem sunt sese subiicere definitionibus absolute obligantibus conciliorum et Summorum Pontificum, eo quod credunt quoad eiusmodi casus Christum ecclesiam suam infallibilitatis charismate donasse: sed quoad alios casus putant, ob ingenii aciem ac ob scientiam qua praestant, se potius esse consiliarios natos, censores ac iudices episcoporum atque ipsius Papae. Sententiam illam *Anathema sit* solum verentur, aliis vero mitioribus formulis potestatis docendi et regendi resistere se posse arbitrantur, nisi omnia cedant secundum desideria sua.

Anonymus anglus ex hac hominum classe omnis generis consilia Papae dederat in ephemeride *Contemporary Review* (mense Aprili 1893), quae omnia huc tandem redibant: Summum Pontificem debere iam theologis « conservatoribus » silentium imponere et theologis « progressus studiosis » favorem ostendere. Vir ille revera theologos huc illuc cursim consuluerat, at eius scribendi ratio ostendebat eum non esse ex instituto theologum. Nunc autem contigit ipsi videre Romam nullam rationem habuisse suae sapientiae, et viam inivisse suis optatis fere contrariam. Doloris sensus, qui propter hoc in eo nascebatur, facile intelligi potest, attamen eius modus loquendi (m. Aprili 1894), tantae acerbitatis est, ut indignus videatur homine liberaliter instituto, sicuti statim plures animadverterunt.

Initium ducit ab accusationibus generalibus, et a minutis quibusdam querelis sane miris. Imprimis ex eo audimus ecclesiam catholicam studium sacrae Scripturae compescere, catholicos existimare Scripturam rite exponi posse ab iis solummodo qui linguam ignorant in qua primitus libri sacri scripti sunt, inscios homines eiusmodi tantum dignos esse qui exegesim profiteantur, quod si quis scientifice Scripturae studio det operam, et suae investigationis fructum publici iuris fieri velit, inquisitionis iudicio subiici; novam encyclicam eiusmodi esse ut catholicos pudore afficiat, et in urbibus continentis generatim eius textum nec pecunia nec precibus comparari posse.

Haec omnia leguntur initio articuli in quo de ea encyclica agitur, quam plures ephemerides aliaque publica folia ediderant, et in sermonem vulgarem transtulerant, quaeque episcopis tan-

topere commendabat, studium Bibliorum in seminariis sibi commissis promovere, ac propterea professores exegesis designare, qui tum peritia in omni theologica disciplina, tum exegeticarum litterarum et orientalium linguarum notitia pollerent, et arti criticae assueti essent (Vide supra, pag. 16 ss.).

Cum articuli auctor superioribus animadversionibus tam mirae sapientiae specimen dederit, nemo mirabitur subsequens eius tentamen, quo in Scriptura sacra errores demonstrare conatur, similem exitum habuisse. Clausis oculis manus iniicit in promptuarium aliquod obiectionum scholasticarum. et quidquid in manus incidit, profert. Omnia simul miscet tum nullius tum alicuius momenti res, veras difficultates et obiectiunculas, quas discipuli in schola exercitationis causa fingunt (1). E. g., a Iahve « deo gentilicio » usque ad leporem ruminantem, et a lege mosaica usque ad nomina uxorum Esau plurima promiscue tractat (2). Verissimum est, quod ipse ait, « tales et similes quaestiones passim occurrere iis qui studio exegesis dent operam » (3). In quolibet compendio introductionis biblicae congeriem harum obiectionum invenire licet.

Facile intelligitur confutationem arduum opus non fuisse Dño Robert Francis Clarke in *Contemporary Review* (Iuly 1894), et Patri Herbert Lucas in *Month* (Iune, Iuly 1894). Ambo enim iterato se excusant quod tempus et chartam frustra terant solventes difficultates, quae vix ulla consideratione dignae sint, quaeque saepe oriantur ex eo quod anonymus ille quae adversarii dicunt, non intelligat, vel ex eo quod inaccurata aut non recta affirmet. Quia singulas obiectiones et responsiones prosequi non vacat, satis sit lectorem ad illos articulos remittere.

Facile coniici poterat, anonymum confutationem quiete laturum non esse. Conatus est suam thesim tueri in *Contemporary Review* (Sept. 1894) scribens « *On theological bookkeeping by double entry* ». Duplicem modum rationes colligendi inveniebat in eo quod catholici Europae continentalis diversimode tractarentur ac catholici Angliae et Americae. Dum illos minis alii-

(1) *Contemporary Review*, l. c., pag. 590, 595.
(2) Ibidem, pag. 575 s. 591.
(3) Ibidem, pag. 589.

sque ad pavorem mediis terreant, hos nonnisi liberaliter tractari, ita ut prae primis manifesta privilegia obtineant. Ideo se putat a suis anglis adversariis rationibus oppugnari, ab italis vero theologicis censuris.

Dein conqueritur diversas solutiones suis obiectionibus dari, ac si inauditum foret ad solutionem alicuius scientificae difficultatis diversas vias iniri, et alicui unam potius, alii vero alteram magis arridere. Sed hoc ipsum reprehendit, adversarios scilicet, quin directe eius quaestionibus respondeant, undique probabiles hypotheses evocare ac dicere: Si hoc admittimus, vel si hoc supponimus, difficultas soluta est.

Nihilominus reprehensio non est ad rem. Si obiiciatur ex. gr., ut paulo ante memoravimus, contradictio in nominibus uxorum Esau referendis, soluta est profecto difficultas, si ostenditur textum varias expositiones pati posse, quae nullam contradictionem involvant. Contrarium enim contradictionis non est realitas sed possibilitas. Nonnunquam enim impossibile est certo definire quomodo necessario exponendus sit textus ad antiquissimam historiam generis humani pertinens, quia quae nobis tradita sunt, ad hoc non sufficiunt. Usquedum vero una vel plures expositiones sine repugnantia sunt possibiles, quin ulla vis textui inferatur, non potest esse sermo de contradictionibus vel de erroribus narrationis. At cur adhuc detineamur in re, quae ob inanitatem suam, nullum negotium facit?

Etsi aggressio anonymi angli evidenter inanis esset, voluit tamen *Un Catholique Français* articulum mense Aprili (1894) editum a *Contemporary Review* gallice reddere, eique adiecit epistolam *à un Vicaire Général*, in qua inter alia scribit:

« Contra ac theologis gallis accidit (qui publice encyclicae se subiecerant) angli non verentur vera animi sui sensa libere proferre circa pontificia statuta de Bibliorum inspiratione. Eiusmodi animi dispositio, licet mira videri et sollicitudinem afferre possit, nihilominus communis est magno numero catholicorum universi orbis. Auctor articuli in *Contemporary Review* loquitur praesertim nomine catholicorum hominum in Anglia et in America degentium. Quaestionem inspirationis simili ratione tractat ac Revmus d'Hulst, (non autem eodem modo se submittens auctoritati Papae) sed immo suam opinionem defendit viribus, quas ipsi

firma persuasio suppeditat, et, ut clarius loquar, omnino britannica ruditate. Avide legi haec folia, et in iis veritatum manipulos (verbum hoc ideam apprime reddit) inveni solerter compositos ab impavido artifice, quos mihi, una simul collectos et gallice redditos, opportunum visum est, et adhuc videtur in Gallia spargere, ad hunc saltem finem, ut in hac magni momenti quaestione exegetae aliquid luminis afferant ».

Si catholicus gallus hanc postremam sententiam serio protulisset, debuisset etiam transferre articulos a Clarke et a Lucas editos. Etenim « aliquid amplius luminis » et forte etiam demonstrationem invenisset anonymum non loqui nomine Anglorum, sed ad summum nomine nonnullorum Anglorum. Interea catholicus gallus intima animi sensa et scopum, ad quem tendit, per ea verba aperit, necesse esse hunc tubae clangorem « etiam in iis sublimissimis regionibus resonare facere, ubi volunt quidam in nobis fidem efficere in sublimem aliquam auctoritatem, cuius praecipiendi ius nullius inspectioni subiiciatur, nullisque limitibus coarctetur ». En quo tendit: vult esse supremus inspector Papae et episcoporum!

At catholici galli non videbantur britannico illo bellico cantu valde delectari, nam Lagrange, quem certo male affectum nemo dixerit erga liberiores opiniones, scribebat in *Revue biblique* (Janvier 1895, p. 54): « Ce qui est plus attristant (magis quam scriptorum protestantium probra), c'est le ton de la brochure intitulée: *l'Encyclique et les catholiques anglais et américains*... L'auteur, qui écrit en anglais, mais que d'autres pensent être un prélat austro-hongrois, a eu le tort de traiter par le persiflage les graves questions qui coûtent à tant de savants catholiques de longues heures de grave et sérieux labeur. L'Encyclique n'est pas un document *ex cathedra*, mais, en l'adressant aux catholiques, le Souverain Pontife a rempli son office de Pasteur universel, indiquant aux fidèles la direction à suivre dans les questions agitées. Elle a donc droit au respect et à l'obéissance. M. l'abbé Robert a pris à tâche de réfuter le *factum* anglais par une brochure intitulée: *Réponse* à « l'Encyclique et les catholiques anglais et américains ». Censet vero Lagrange quoad nonnullas quaestiones Robert plus aequo criticis concessisse; ceterum in quaestione pentateucha de qua praecipue agitur, rem pacato animo esse aggre-

diendam et positive historicis argumentis definiendam, non autem rationibus a priori.

Brucker confutat plures assertiones anonymi angli, et dein prosequitur: « Nous sommes presque honteux de nous attarder à ces pauvretés, presque toutes les objections avec lesquelles le diplomate hypercritique a cru pulvériser l'Encyclique, sont de la même force. On peut juger, d'après ces exemples, « la logique de la droite raison » qu'admire en lui le traducteur français. Il n'a montré, dans la répétition de ces chicanes depuis longtemps réfutées, qu'une impardonnable légèreté, dont son traducteur n'est pas non plus indemne (1) ».

Pseudonymus italus, *Eufrasio*, non est ausus revera encyclicam inpetere, tamen conatus est eam ita interpretari, ut non prohibeat errores admittere in libris inspiratis. Autumat distingui oportere inter obiectum et effectum inspirationis. Omnia in Scriptura esse inspirata sed non omnia ob inspirationem esse infallibilia. Id vero ex ea quaestione pendere, an Deus voluerit nos docere circa aliquam materiam, si enim Deus noluit in Scriptura documenta scientifica tradere, nequit eius auctoritas invocari in re scientifica (2).

Contra *Eufrasio* et contra anonymum anglum S. M. Brandi opus conscripsit, quod partim per articulos distributum primum apparuit in ephemeride *La Civiltà Cattolica*, postea iterum recusum et gallice redditum editum est sub titulo: *La question biblique et l'Encyclique Providentissimus Deus* (Paris, o. I.). Inprimis aggreditur auctor ex encyclica brevem expositionem doctrinae catholicae de inspiratione (c. 1), ostendit deinde huic doctrinae non convenire opinionem « novae scholae » (c. 2), declarat postea immunitatem ab errore generatim Bibliis propriam (c. 3), descendit deinde ad casus particulares, et nominatim agit de erroribus in re, quae ad scientias naturales pertineat (c. 4), de contradictionibus (c. 5), et tandem de erroribus historicis (c. 6). In appendice adducit textum encyclicae, et adhaesiones episcoporum, Scotiae, Angliae et Helvetiae, Cardinalis Meignan archiepiscopi turonensis, Cardinalis Richard

(1) *Études religieuses* (Revue, Paris), LXII (1894), 636.
(2) *Rassegna Nazionale*, Maggio 1894.

archiepiscopi parisiensis, Revñi d'Hulst, facultatis theologicae Instituti catholici parisiensis, facultatis theologicae Universitatis andegavensis, facultatis theologicae in urbe Washington et Universitatis in urbe Ottawa.

Brandi concedit saepe etiam explicite, nonnullas difficultates ab aliis exegetis diversa ratione solvi. Neque aliter esse potest, considerata singulari indole variarum quaestionum. Ultimum verbum in pluribus quaestionibus adhuc pronuntiari non contigit, et ideo zelo et ingenio doctorum hominum opportunitas laboris non deest, etsi directioni encyclicae absolute sese subiiciant. Nam Summus Pontifex non hortatur ad tranquillam fruitionem eorum quae comparata iam sunt, sed potius efficacem laborem omni ex parte promovet.

IV. Argumenta theologica quibus innititur inerrantia Sacrae Scripturae.

Sacram Scripturam in omnibus suis partibus ab errore immunem esse duplici ratione constare potest: primo si quis sententias omnes et phrases ab errore immunes esse singillatim demonstret, secundo si quis generalia principia inveniat atque tuta, ex quibus haec inerrantia consequatur. In priori demonstrationis via omnino abstrahi licet ab origine divina librorum, nam etiam liber pure humanus, ex. gr. volumen tabularum logaritmorum, hac ratione ab errore immunis demonstrari potest. Eiusmodi negotium tamen quoad Biblia sacra labore plenum et pene infinitum esset, cum assertiones contineat, quae ad historiam aliquot millium annorum et ad obiecta literaria plane diversa sese extendunt. Insuper propositum nullo modo sic attingi posset, quia aliqua asserta biblica talia sunt, quorum veracitatem pervestigare non valemus, et quia saepe ignoramus quousque possideamus textum originalem. Nil aliud igitur manet, quam vel quaestionem de perfecta et adaequata inerrantia Scripturae seponere, vel ad eius solutionem invocare generale aliquod principium. Propterea iniusta est postulatio nonnunquam etiam aliquot catholicorum, qui contendunt non esse decertandum principiis a priori, sed ex internis indiciis Scripturae asserta

vera esse demonstranda. Rogo, velit quis semel demonstrare, Cainum fratrem suum Abel interfecisse, Hiram regi non placuisse oppida ei dono collata a Salomone, et aetate Iosiae librum legis in templo repertum fuisse. Si aliqua istarum assertionum falsa est, iam actum est de inerrantia Scripturae; et tamen in Scriptura centena et millena similia asserta numerantur, quorum veritas demonstrari nequit. Potest igitur eorum veritas praesupponi, vel ob certitudinem reliquae narrationis verisimiliter retineri, sed hac ratione certa esse numquam possunt. Et tamen catholicus debet omnia asserta haec uti recta absolute retinere. Nequit igitur firma haec certitudo inniti praevio examini singularum assertionum. Ceterum etiamsi eiusmodi examen possibile esset, per illud scopus adhuc non attingeretur; nam assensus ita comparatus esset scientificus, sed e contrario Scriptura et veritates, quae in ea continentur, sunt obiectum fidei, ac propterea exigunt commune fidei motivum.

Tunc solum iure et merito exigitur diligentius examen circa textum aliquem particularem, quum agitur de solutione particularis obiectionis vel difficultatis. Revera ubi compertum sit Deum suam fidem obligare pro veracitate eorum quae in Scriptura reapse asseruntur, nullum dubium esse potest omnem obiectionem contra aliquod Scripturae assertum inanem esse. Falsum igitur est contradictionem incurri, ab eo qui divinae auctoritati innixus dictum Scripturae verax pronuntiat, antequam examini critico illud subiiciat. Nihilominus iure cupimus non solum cogi per principia generalia fidei, sed etiam habere, quoad eius fieri potest, eorum quae sunt fidei obiectum, intelligentiam. Porro oportet nos reddere posse rationem fidei nostrae adversariis, qui nobiscum fidem communem non habent. Hoc vero fieri nequit nisi eorum difficultatibus scientifica ratione occurramus. Hac de causa nonnunquam recta immo necessaria est positiva demonstratio veritatis alicuius particularis asserti, vel saltem negativa demonstratio per solutionem obiectionum, quae opponuntur. Nihilominus necesse est ante omnia huic quaestioni respondere: quaenam rationes nos cogunt uti vera retinere omnia asserta Scripturae?

Et imprimis definire oportet, quid demonstrandum sit. Scriptura in ecclesia semper agnita est uti regula fidei et morum. Quum

autem ecclesia in hoc negotio errare non possit, non potest esse dubium inter catholicos, quoad eiusmodi materias Scripturam non esse errori obnoxiam, licet leges in ea contineantur, quae non semper valeant, sed pro aliqua particulari aetate latae sunt. Etiam liberrima schola, quamdiu catholica manere velit, debet admittere inerrantiam in re fidei et morum. Quum igitur id in dubium non revocetur, non est opus peculiarem demonstrationem instituere.

Rursus sequitur ex definitionibus conciliorum Tridentini et Vaticani, quidquid ab ecclesia agnoscitur uti liber sacer vel pars libri sacri, Deum habere auctorem et divina auctoritate communiri. Evidenter contrarium esset doctrinae catholicae integros Scripturae libros vel etiam segmenta eorum ampliora, quae pars libri vocari possint, vel tamquam non inspirata habere, vel etsi inspirata errori tamen obnoxia. Quaecumque fuerit occasio conciliis illis designandi « libros ipsos integros cum omnibus suis partibus », haec propositio debet suum naturalem verum sensum retinere, et excludere interpraetationem omnem, quae obvio verborum sensui repugnet. Scriptura sacra cum omnibus suis partibus secundum catholicam doctrinam est verbum Dei scriptum, ac propterea non solum est immunis ab errore, sed etiam infallibilis sicut omne verbum Dei, et hoc sive ea quae in ea continentur essentialiter pertineant ad obiectum fidei (per se), sive ex accidentali extrinseca connexione (per accidens). Quod Deus dixit est veritas, et ideo quia ipse dixit, et eo modo quo dixit.

Sed an ulterius progredi oportet, ac dicere singulas Scripturae sententias inspiratas esse et ab errore immunes? Quaestio non est eadem ac illa prior. Exemplo aliquo id patebit. Vulgata est sacra Scriptura authentica latinae versionis, tota Vulgata cum omnibus suis partibus; tridentina definitio respicit proxime Vulgatam. Nihilominus nullus catholicus theologus inficiatur, in Vulgata reperiri verba et sententias quae non pertinent ad Biblia originalia, quaeque proinde nequeunt tamquam inspirata, uti verbum Dei ab errore immune designari; et tamen integra Biblia cum omnibus suis partibus in Vulgata possidemus. Propterea non videtur ea dictio « omnes partes » necessario se extendere ad singula verba et ad singulas sententias, sicut ubi sermo est de partibus alicuius libri, nemo cogitat generatim de rebus mi-

nimis et parvi momenti. Quum, si abstrahamus ab usu pure scientifico, Vulgata plene sufficiat, videntur nullius ponderis esse enuntiationes illae minimi momenti. Oportetne tamen sacrae Scripturae originali in omnibus partibus etiam minimis immunitatem ab errore vindicare? Haec est quaestio de qua agitur, quae sane non est magni momenti nec magni ponderis practici, attamen est quaestio non inutilis ad conceptum inspirationis rite definiendum, quaeque propterea in theologia est consideratione digna.

Certe est iam per se satis mira assertio eorum, qui tenent Deum inspirare auctorem sacrum, ut librum componat, et continuo quoad verbum aliquod vel sententiam inspirationem interrumpere atque scriptorem suis viribus relinquere, ut iterum postea in proxima sententia inspirationem immittat. Eiusmodi agendi ratio distracto magistro facile tribueretur, sed quaeso quem finem habere posset Deus in eiusmodi interruptione et nova immissione inspirationis?

Immo videtur esse contra finem; quia in pluribus locis Scripturae lector deberet inquirere: estne hoc inspiratum vel non? Definita aliqua norma ad discernendum inspirata a non inspiratis non suppeteret; et ideo in Scriptura quae non pertinent ad doctrinam fidei et morum incerta manerent, id vero persuasioni catholicorum non cohaeret. Aliter res se habet quoad Vulgatam; haec non est nisi versio, et ut talis non est inspirata. Definitum est autem esse versionem authenticam saltem quoad res fidei et morum. Quoad illam propterea agitur de versionis fidelitate; in nostra quaestione vero agitur de natura et extensione inspirationis.

Pro inspiratione et auctoritate singularum etiam minimarum partium sacrae Scripturae solet hoc argumentum afferri: Christum et apostolos nonnumquam attulisse uti verbum Dei, et ut irrefragabile argumentum obiecisse non modo singulares sententias sed singularia verba etiam Scripturae, ex. gr. David Messiam vocare « Dominum » (Matth., XXII, 41 ss.), Deum dixisse: « Adhuc semel », et ego movebo coelum et terram (Hebr., XII, 26 ss.) etc.

Nihilominus Nisius opinatur: « Hoc vero cardinem controversiae non tangit. Contingere scilicet solummodo, praesertim apud prophetas, ubi verba altissimum inspirationis gradum obtinent, etiam singularem vocem inopinatum et profundum sen-

sum habere (1). Sed si identidem animadversiones quaedam accessoriae in aliis locis, ceterum pure historicis et profanis, reapse ut assertiones traduntur, quae divinam auctoritatem praeseferunt, et ex quibus cum certitudine aliae veritates deducuntur, non solum illustrantur, tunc plerumque agitur de typis propriis V. T. Certi enim evadimus ob assertionem hagiographorum N. T., non solum inspirationem, sed etiam quamdam providentiam extendi ad minimas illas animadversiones indifferentes, qua etiam praenuntiabantur res et eventus futuri operis redemptionis. Quinimmo possemus generatim statuere similem influxum divinum haberi in multis pariter locis, de quibus scriptores inspirati nullum speciale testimonium proebuerunt. Certitudinem tamen habemus solum relate ad eos locos, qui in N. T. hanc interpretationem typicam reapse obtinent, et in omni casu extensio ad res minimas et ad textum V. T. potest censeri, ut non demonstrata » (2).

Haec declaratio, sane aliquantum contorta, proprie nihil aliud dicit quam extensionem inspirationis ad omnes licet minimas partes nullibi in sacra Scriptura esse propositam sub forma thesis generalis. Certo! at de hac re non agitur. Sed potius ex usu textuum V. T. in novo Testamento inductionis argumentum erui potest. A primo capite evangelii s. Matthaei usque ad ul-

(1) Dantur ne varii inspirationis gradus? Per inspirationem Deus fit auctor principalis alicuius scripti, ita ut quae in ipso continentur omnia sua auctoritate contegat. Hoc, neque plus neque minus, pertinet ad inspirationem iusta strictam verbi significationem. Omnem textum inspiratum igitur esse verbum Dei scriptum ac propterea fidei obiectum, non recipit varios gradus. At si alicubi Deus non solum res contentas, sed etiam earum expressionem in certis quibusdam sententiis vel verbis inspiraverit, haec inspiratio verbalis censeri forte poterit sublimior gradus inspirationis. Ulterius, ubi Deus non solum moveat scriptores ad scribenda, ea quae aliunde sciunt, sed etiam eis revelet, quae scribenda sint, minus accurate quidem sed adhuc aliquo vero sensu dici potest haberi sublimior gradus inspirationis. Hac in re iuxta modum loquendi scholasticorum distinguuntur varii gradus « prophetiae », item revelata per se et per accidens. Denique posset esse sermo de speciali gradu inspirationis, si ea quae ex divina ordinatione scribuntur, haberent non solum sensum literalem, sed etiam typicum etc.

(2) *Zeitschrifts für kathol. Theologie*, XVIII, (1894), 669.

timum caput Apocalypsis habentur centena loca (1) V. T., quae constanter afferuntur uti dicta absolute vera, sive videantur pertinere ad res parvi sive ad res magni momenti. Ratio vero, cur semper afferuntur ut indubia veritas, non est modo haec modo alia, sed semper quia « scriptum est », eo quod neque unum Iota ex lege poterit non impleri (Matth., V, 18). In tali arguendi ratione potest quis dubium movere, num forte inductio non sit sufficiens, et in tantum adhuc sustineri posset utique extensionem inspirationis ad partes minimas non esse demonstratam, vel saltem demonstrationem non esse apodicticam.

Adhuc demonstranda manet praeterea extensio inspirationis ad N. T. quoad omnes eius partes. Attamen ex Scripturis doctrinam inspirationis plene erui non posse, est penes theologos catholicos fere communiter admissum.

Iuxta s. Paulum (2 Tim. III, 15 s.) « omnis Scriptura » est inspirata a Deo, sed hic sermo est solum de V. T., et quousque extendatur ex mente Apostoli locutio illa « omnis » non satis patet.

Etiam quoad interpretationem decretorum concilii Tridentini et Vaticani theologi non plene conveniunt inter se, ut videre est apud Nisius (2). Manet igitur inquirendum, an forte traditio cui tantopere innititur Leo XIII in Sua Encyclica, definitivam sententiam in hac re pronuntiaverit.

Hoc negotium in disquisitionem posuit I. Corluy (3). Praemittit quidem ex decretis conciliorum rem certo definiri non posse, siquidem « obiter dicta » sunt potius « particulae » quam « partes integrantes ».

« C'est pourquoi le docteur Schmid ne regarde pas comme une vérité de foi que les *obiter dicta* sont divinement inspirés, et Patrizi, comme nous le disions plus haut, ne voulait pas condamner ceux qui soustraient à l'inspiration ces choses de nulle importance. Nous nous rangeons volontiers à l'avis de ces

(1) Computatio est aliquantulum incerta, quia citationes non sunt semper aeque evidentes. Numerantur circiter 300 loci adhibiti, quorum 170 referuntur verbatim.

(2) *Zeitschrift für kathol. Theologie*, 1894, p. 652 ss.

(3) *La Science catholique* (Revue, Paris), VIII, (1893), 481 ss.

maîtres et nous ne nous croyons pas le droit de suivre Bellarmin, lorsqu'il déclare hérétiques « ceux qui soutiennent que dans les épîtres de saint Paul et dans d'autres livres sacrés et divins, tout n'a pas été écrit sous la dictée (l'inspiration) de l'Esprit-Saint, mais que certaines choses sont le produit de la seule prudence humaine » (1). Il nous paraît cependant que les décrets de Trente et du Vatican peuvent être produit en faveur de l'inspiration des *obiter dicta*. Tous ceux qui parlent sur ce sujet rangent parmi les *obiter dicta* les salutations insérées dans les lettres de saint Paul. Or ces salutations remplissent presque tout un chapitre (le XVI[e]) de l'épître aux Romains. Si donc les *obiter dicta* ne sont pas inspirés, il faudra exclure de la série des livres inspirés, c'est-à-dire des livres sacrés et canoniques, à peu près tout ce chapitre XVI[e]. Comment concilier cela avec la définition conciliaire? Car enfin on ne peut pas soutenir que ce chapitre ne constitue pas une partie intégrante de l'épître aux Romains. Mais si tout le chapitre, c'est-à-dire, l'ensemble des 19 salutations est inspiré, ne faut-il pas que chaque salutation soit dans le même cas? Quoi qu'il en soit de cet argument, la question qui nous occupe doit surtout être étudiée à la lumière de la tradition des Pères » (2).

Si vero istorum doctorum responsum quaeramus, ita nobis patet ut ad perspicuitatem quod attinet, nihil melius desiderari possit. Audimus enim in sacra Scriptura nihil superfluum, nihil inutile occurrere, quia omnia a Deo procedunt et verbum Dei sunt, Deus autem nullum verbum otiosum dicit. Tam graviter inculcatur inspiratio singularum partium, ut quis saepe suspicari posset verbalem inspirationem tradi. Quum autem haec ex aliis dictis Patrum excludatur, hoc solum legitime deducitur, Patres expresse docere inspirationem rerum contentarum se extendere etiam ad minimas partes librorum sacrorum.

« Salutate Priscam et Aquilam », scribit Paulus (*Rom.*, 16, 3); et s. Ioannes Chrysostomus (3) monet suos auditores, ut non tran-

(1) De Verbo Dei, I, 6.

(2) *La Science catholique*, (1893), p. 484 ss.

(3) Super illud: Salutate Aquilam et Priscam, hom. I, 1. *P. G.*, t. 51, c. 187.

scurrant cursim haec verba: « Cum vero scribat Paulus, vel potius non Paulus, sed Spiritus gratiae dictet (inspiret) epistolam ad integram civitatem ac tantum populum, et per illos orbi terrarum universo, supervacaneum aliquid eorum, quae in ea sunt, arbitrari eaque perfunctorie percurrere, neque cogitare hanc ob causam omnia susdeque verti? » Postquam ostendisset quam plenae sensibus sint hae salutationes prosequitur (1): « Nonne docti estis nihil in sacris litteris inter supervacanea habendum? Nonne didicistis et inscriptiones et nomina, merasque salutationes diligenter in Scripturis excutienda? Ego sane studiosos arbitror ne laturos quidem, ut verbulum aliquod in sacris libris contemptum praetereatur, etiamsi tantum nomina recenseantur, vel tempus numeretur, vel nuda sit quorumdam salutatio ». Et in homilia super verba: *Vidi Dominum* (2): « Sunt homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus sumpserint deinde repererint vel annorum numerum positum, vel nominum recensionem, illico praetercurrunt, et incusantibus respondent: Nomina tantum sunt, neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, et tu audes dicere nulla est dictorum utilitas? » Similes locutiones inveniuntur penes Irenaeum, Origenem, Ephrem, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Magnum (3).

Maxime temerarium videtur Patribus minimum licet errorem in sacris Scripturis admittere, quum Deus absolute nullum errorem possit asserere: « At ego, inquit Eusebius caesareensis, audax temerariumque facinus arbitror esse, pronuntiare confidenter divinam Scripturam lapsam esse » (4). Nemo putet Patres non praesensisse difficultates quae huic doctrinae adversabantur. Minime, sed etiam ubi eis difficultatis nulla solutio occurrebat,

(1) L. c., hom. II, 1, t. 51, c. 195.

(2) Hom. II, 2. *P. G.*, t. 56, c. 110.

(3) *La Science catholique* (1893), p. 486 ss. Corluy prosequitur adducens locum « alterius Patris » ex homilia super verba: « Modico vino utere » (1 *Tim.*, 5, 23), ubi similis assertio habetur, et animadvertit se citationem oblitum esse, et non potuisse locum amplius verificare (p. 488). Mirum est, quia agitur de prima ex celebrioribus homiliis *de statuis* (Migne, *P. G.*, 49, 17), quam plures iuniores discipuli eloquentiae sacrae prae manibus habere solent.

(4) Eusebius in ps. 33. *P. G.*, t. 23 c. 289.

constanter pronuntiabant, nullam considerationem vel obiectionem nos prohibere posse, quominus illimitatam auctoritatem omnis verbi Scripturae profiteamur.

Vulgo nota sunt plura dicta s. Augustini, quae huc spectant: « Maior est quippe Scripturae huius auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas » (1). « Hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas, potius quam illud quod humana infirmitas coniicit » (2). « Si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam » (3). « Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum » (4).

Patribus in controversia circa Scripturam adversarii plures erant nec contemptibiles, ut Celsus, Porphyrius, Iulianus apostata, manichaei aliique haeretici, qui nisi omnino easdem, tamen obiectiones faciebant, iis similes, quae adhuc nostra aetate opponuntur. Vera responsio sanctis Patribus nonnunquam praesto non erat, et ideo confugebant ad expositiones exquisitas et minus vero similes. Sed an forte unum vel minimum errorem in Scriptura admittere conati vel ausi sunt? — nunquam! Eiusmodi suspicionem cum exsecratione a se removent. Si adiiciatur modo hanc persuasionem retinuisse theologos omnes mediae aetatis (5), et vix paucos theologos recentiores opinatos esse parvos errores in re minoris momenti in Scriptura admitti posse, facile aestimabitur quali determinatione pronuntiari poterat veritas omnium sententiarum Scripturae sine ulla exceptione, sive agant de rebus magnis sive de rebus parvi momenti. Benedictus XII

(1) De Gen. ad litt. II, 5, 9. *P. L.*, 34, c. 269.

(2) L. c., 9, 20, c. 271.

(3) Epist. 82, 3. *P. L.*, 33, c. 277.

(4) De Gen. ad litt. I, 21, 41. *P. L.*, 34, c. 262; cf. *La Science catholique* (1893), p. 491 ss.

(5) Uti demonstravit Holzhey in suo opere: *Die Inspiration der Heiligen Schrift in der Anschauung des Mittelalters.* München, 1895. (Inspiratio sacrae Scripturae iuxta conceptum mediae aetatis).

et Clemens VI olim eandem conclusionem enuntiaverant. Etsi igitur haec doctrina definita hucusque non sit, talem Patrum consensum et Theologorum praesefert, ut de ea adhuc dubitare catholicis ulterius non liceat (1).

Corluy per haec verba absolvit: « L'étude que nous venons de communiquer à nos lecteurs, nous a pleinement confirmé dans la persuasion que la théorie moderne des *obiter dicta* est absolument étrangère et même contraire à toute la tradition catholique; que, par conséquent, on ne peut lui faire une place parmi les opinions librement disputées en théologie. Sans vouloir condamner ceux qui la soutiennent, nous sommes forcés de dire que nous regardons leur opinion comme fausse et insoutenable » (2).

Si quis forte adversus hanc demonstrationem obiiciat: ne sancti Patres perpetuo efferantur: non poterant enim difficultates scientificas et historicas, quae modo exsurgunt, ullatenus praesentire — haec obiectio perturbato animi sensui innititur. Alia quaestio est, an Patrum auctoritas valeat in interpretatione locorum Scripturae, qui ad profanas scientias respectum aliquem habeant, alia vero quaestio est, an oporteat consensui Patrum inhaerere, ubi tamquam firmissimam veritatem testatur, sacram Scripturam, utpote a Deo inspiratam, esse infallibiliter veram in omnibus suis partibus et particulis. Quaestio illa prior est exegetica; haec vero dogmatica. Porro in quaestione dogmatica indubia est Patrum auctoritas. Utrum vero in interpretatione textuum, qui de re agant, quae scientiae profanae obiectum est, eamdem auctoritatem Patres habeant, theologi non omnino conveniunt. Propterea operae pretium erit hanc quaestionem breviter exponere.

(1) La *Science catholique* (1893) p. 499 ss. Ibidem vero p. 500 ss. refelluntur obiectiones, quae contra consensum Patrum opponuntur. Sunt tamen ita debiles, ut in iis hic immorari non refert.

(2) *La Science catholique* (1893), p. 506 ss.

V. Auctoritas Patrum in interpretatione textuum, qui de re agunt, quae ad scientiam profanam attinet.

Patrum auctoritatem imprimis extollit Egger. Principii loco statuit ecclesiam esse infallibilem interpretem Scripturae et omnium eius partium, sive res contineant, quae ad religionem pertinent, sive quae ad religionem non attinent, inde vero deducit: « Auctoritas Patrum in interpretatione Scripturae non coarctatur solum ad res fidei et morum, sed se extendit etiam ad obiecta quae ad religionem minime pertinent. Consequens revera est valde evidens, quum Patrum auctoritas eadem sit ac ecclesiae auctoritas, quam ut demonstrationis principium assumpsimus. Patres si unanimiter consensiant, repraesentant ecclesiam docentem superiorum temporum: concilium quodammodo constituunt, ut pulchre loquitur s. Augustinus (1), in quo non solum episcopi diversorum locorum sed etiam diversae aetatis conveniunt et iudicant. Necesse est igitur, sicut in aliis dogmatibus, in Scripturae interpretatione eorum consensum sequi. Magisterium ecclesiae non innititur quidem novis revelationibus, sed apostolicae traditioni; praecipuus vero huius traditionis ductus est Patrum doctrina. Propterea valet hic Leonis magni axioma: *Non licet aliter de divinis Scripturis sapere, quam beati Patres nostri dixerunt atque docuerunt* (Epist., 62, 1). Dictum illud conciliorum propterea non licere Scripturas interpretari contra eum sensum quem tenet ecclesia, vel contra unanimem consensum Patrum, non est duplex criterium interpretationis sacrae Scripturae, sed unum et idem diversa forma expressum, videlicet doctrina ecclesiae praesentis et praeteriti temporis. Conclusio igitur quam deducebamus, omnino tenet: auctoritas Patrum aeque se extendit sicut ipsum ecclesiae ius in interpretatione sacrae Scripturae. Sicut igitur ecclesia competens est ubi agitur de interpretatione textus Scripturae qui de re profana agat, ita etiam Patres sunt competentes, dummodo unanimis eorum consensus habeatur » (2).

(1) Contra Iul. 2, 10, 37.

(2) *Streiflichter über die « freiere » Bibelforschung*, (Brixen 1899), p. 8 s.

Haec est certe plane confidens locutio. Sunt tamen alii theologi qui diversam opinionem gerunt.

Nisius denegat vim demonstrationis Egger, eo quod falso principio innitatur, scilicet ecclesiam posse infallibiliter interpretari omnes Scripturae locos, eos etiam qui ad profanas scientias attinent. « Eiusmodi sententiam, ait, tamquam principium nullo modo sustineri posse » (1). « Quaerimus enim quodnam habeat fundamentum principium hoc ecclesiam interpretari posse totam divinam revelationem, quousque saltem scripto consignata sit ». Cogitari potest enim nonnulla Deum in Scripturis tradidisse, quae sine ulteriore interpretatione, simpliciter prouti iacent, ad doctrinam et aedificationem fidelium ordinari tenenda sunt. Propterea quaestio a priori definiri non potest, sed positivam demonstrationem exigit. Ecclesiae doctrina statuit in communi integram sacram Scripturam esse verbum Dei (et propterea fide divina credendum), sed propterea non proponit fidelibus omnes sententias Scripturae (fide catholica credendas) sensu illo quo in doctrina theologica propositio haec accipi solet. Neque omnis Scripturae sententia pertinet ad *depositum fidei* iuxta eum sensum quo a theologis depositum hoc intelligi solet. Etsi igitur concedendum sit ecclesiam reiicere posse omnem interpretationem, quae suis dogmatibus contradicat, ex eo tamen adhuc non sequitur ius positive interpretandi omnia et singula. Licet quis a consensu Patrum recedat in interpretatione locorum Scripturae, qui ad scientias profanas attinent, potest adhuc firmiter retinere inspirationem eorundem locorum (2).

Nisius putat etiam post encyclicam « Providentissimus Deus » quoad hanc rem arctiores limites impositos non fuisse. « Ibi enim expresse traditur exegetam, licet cum magna reverentia erga ss. Patres, posse tamen discedere ab eorum expositione locorum Scripturae, qui de rebus naturalibus agunt... Breviter, ubi in expositione alicuius textus profani, ut aiunt, Scripturae opiniones Patrum versantur circa rem quae nullum respectum habeat ad fidem, encyclica permittit exegetae plenam libertatem (3) ».

(1) *Zeitschrift für kathol. Theologie*, XXIII, (1889), 187 s.
(2) Ibid., 484 ss., cf., XXIV (1900), 672 ss.
(3) *Zeitschrift für kathol. Theologie*, XXIV (1900), 687 s.

Similia habet Brucker, qui in Gallia a multis accensetur inter patronos extremi conservatismi. Allegat verba illa encyclicae: « quod vero defensio Scripturae sanctae strenue agenda est non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu, namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis » (1).

His vero addit hanc animadversionem: « La liberté de l'exégèse dans les textes touchant soit aux choses de la nature, soit aussi (car les raisons sont les mêmes) à l'histoire, pourvu que le dogme et la morale n'y soient pas directement intéressés, est clairement affirmée dans ce remarquable passage. Ajoutée aux explications qui ont été données dans le concile du Vatican sur le même sujet, cette déclaration achève de fixer le sens du célèbre décret de Trente sur l'obligation de suivre l'interprétation commune des pères in rebus fidei et morum. A la vérité le Souverain Pontife ne semble parler que des interprétations données par un ou plusieurs pères isolés, *Patres singuli;* mais nous ne croyons pas nous tromper en déduisant de son exposé que la liberté de ne pas suivre les interprétations des pères, dans les matières étrangères au dogme et à la morale chrétienne, s'étend même aux interprétations communes et unanimes. Autrement, en effet, la liberté ne serait pas plus grande dans ces matières indifférentes à la foi que dans le reste; car il n'y a nulle obligation de suivre les *pères isolés* dans l'exégèse des textes dogmatiques ou moraux; et ainsi la réserve toujours répétée par les conciles, *in rebus fidei et morum*, serait oiseuse et sans application.

(1) *Études religieuses,* LXI (1894), 548 ss. Cfr. Brucker, *Questions actuelles d'Écriture Sainte,* Paris, 1895, p. 85 ss., 96 ss.

« Nous espérons donc que la nouvelle parole de Léon XIII mettra fin aux scrupules de quelques exégètes ou théologiens trop timides, attardés à des interprétations surannées, qu'ils qualifient à tort de traditionnelles, par exemple en matière de chronologie et de système du monde. Sans doute ils obéissent à un sentiment louable en soi, à la crainte que l'abandon des anciennes interprétations dans les textes concernant les choses de la nature et l'histoire, ne dispose à les sacrifier aussi dans les passages intéressant le dogme. Le danger existe certainement, mais on ne le conjure pas en outrant et en faussant les règles théologiques sur l'autorité des pères; et il ne faut pas supprimer une liberté légitime et féconde à cause de l'abus qui en peut être fait.

« L'Encyclique nous dirige surement entre les écueils de l'exégèse, entre un conservatisme excessif et la témérité, qui peuvent compromettre au même degré l'honneur de nos Saints Livres. Léon XIII nous recommande d'examiner soigneusement si les pères avancent leur interprétation comme appartenant à la foi, et ensuite s'ils la donnent avec unanimité : donc, ques les deux conditions soient réunies dans une interprétation, et il nous faudra la suivre; qu'une des deux manque, et nous demeurons libres.

« Nous osons affirmer hardiment que la réunion des deux conditions n'a jamais lieu dans l'exégèse patristique, là où elle s'occupe d'autre chose que de dogme et de morale. Il ne faut donc parler de *tradition* dans l'interprétation des textes étrangers au dogme et à la morale, ou plutôt la tradition constante de l'Église, c'est que dans ce domaine l'exégèse est libre, sauf la réserve de la vérité entière des écrits inspirés » (1).

Circa eadem encyclicae verba scribit Schanz: « Summus Pontifex dicit, opus non esse omnia tueri quae singuli Patres vel posteriores interpretes suis expositionibus tradiderunt ... Hic vero dubium intercedere posset, utrum idem valeant hae duae expressiones, *id quod ad fidem pertinet,* et *id quod unanimiter traditur*. Reapse haec duo non perfecte coincidunt. Nam unanimis

(1) *Études religieuses* (*Revue, Paris*) LXI, (1894), 548 ss. Cfr. Brucker: *Questions actuelles d'Écriture Sainte.* (Paris, 1895), p. 85 ss. 96 ss.

consensus Patrum, uti constat, etiam in rebus fidei non potest facile formari seu potius demonstrari. Alia ex parte extat unanimitas haec etiam in nonnullis quaestionibus quae ad naturales scientias attinent (1), quin tamen obligare possit. Iudices copernicani systematis innitebantur philosophiae, sensui proprio verborum Scripturae, et communi interpretationi ac traditioni Patrum, et doctorum theologorum. Qui hodie defendunt universalitatem diluvii similiter innituntur sacrae Scripturae et unanimi consensui interpretum. Nom minus nunc quam tunc frustra iis in memoriam revocatur non agi «de rebus fidei et morum»; nam semper disputari potest quid proprie pertineat ad res fidei et morum. Attamen inveniri debet aliquod obiectum quod neque ad fidem pertineat, nec cum ea arcte connectatur. In eiusmodi potest exegesis discedere etiam ab unanimi Patrum consensu. Etiam Leo XIII hoc iter exegetis non intercipit» (2).

Puto hodie maiori ex parte theologos et exegetas catholicos in eiusmodi sententiam convenire, quoad interpretationem textuum, qui de re agant quae cum fide et moribus nullam connexionem habeat. Exemplo sit Cornely, qui haec scribit: «Nihil obstat, quominus illis in rebus, quae *fidem moresque* non tangunt, ut in historicis, physicis aliisque id genus quaestionibus, a Patrum explicationibus recedamus» (3).

Praeiudicium illud, in quolibet casu temerarium esse Patrum unanimi auctoritati adversari, nemini curae esse debet. Qua ratione igitur demonstratio theologica ex consensu Patrum instituitur?

Nonnunquam aperte et definite statuunt aliquam doctrinam vel aliquem sensum textus cuiusdam sacrae Scripturae pertinere ad fidem catholicam vel eidem contrarium esse. Id praecipue contingit, cum haeretici sensum Scripturae pro falsa sua doctrina allegant. Ut par est in eiusmodi casibus catholico contradicere nefas est. Immo tum plerumque consensus facile demonstrari

(1) Id denegari posse existimat Brucker ut supra audivimus.

(2) *Theol. Quartalschrift* (1891) p. 184 s. De quaestione extensionis iuris interpretandi Patrum scripserunt etiam Vacant (in ephemeride *Science catholique*, VII, [1893] 385 ss.), Granderath (in eph. *Der Katholik*, LXXVIII, [1898], 281 ss. 385 ss.) et alii.

(3) Introductio I (ed. 2. Paris, 1894), 612.

potest per testimonium Patrum paucorum, sed qui habent magnum influxum, et inter se non dependent. Nihilominus obligatio, quae ex hoc consensu oritur, non ultra ipsa verba testimoniorum extendenda est. Contingere igitur potest Patres aliquem sensum textus Scripturae ut haereticum reiicere, quin tamen definiant qua ratione catholice intelligi debeat. Tunc profecto cogimur sequi partem negantem textimonii non autem positivam. Exempli gratia quoad exegesim patristicam Hebr. XI, 4 ss. contra Novatianos. Ob unanimem Patrum consensum necesse est retinere textum non posse intelligi de impossibilitate poenitentiae salutaris pro iis qui post baptisma in peccatum mortale inciderint. At non cogimur cum Patribus dicere ibi agi a Paulo de impossibilitate reiterandi baptisma.

Proinde qui aliquam notitiam habent exegesis Patrum, probe norunt raro admodum Patres suas interpretationes proponere tamquam doctrinam fide catholica credendam. Multo minus id faciunt, ubi de rebus agitur, quae per se pertinent ad ordinem naturalis cognitionis. Generatim textus exponunt simpliciter, sicut in aliis textibus exponendis homines se gerere solent, conantur iuxta regulas hermeneuticae invenire sensum, et ubi eum invenisse putant, morales considerationes adiiciunt.

Saepe admodum opus est circa Patrum interpretationes censere, eos loqui secundum opiniones suae aetatis, et paratos omnino esse scientiam meliorem sine ulla difficultate sequi. Id demonstrarunt, quoties omissa traditionali illius aetatis exegesi alias interpretationes quaesiverunt. Minime omnium reiecturi essent novas historicas notitias et earum usum in exegesi biblica. Noverant enim optime non posse veritatem veritati praeiudicium afferre, sed, si unam alii obviam fieri acciderit, eas inter se illustrare. Difficultates enim non occurrunt nisi ex defectu cognitionis et intelligentiae quo laboramus, in ipsa enim veritate ut tali nullo modo inveniri possunt. Sacra Scriptura est iuxta sanctorum Patrum doctrinam absolute vera, est etiam in singulis partibus vera; sed nostra expositio Scripturae non est semper vera. Hoc satis frequenter Patres declaraverunt.

VI. Inspiratio, Critica et Exegesis.

In disquisitionibus circa Scripturae infallibilitatem non raro accidit simul commisceri res, quas inter se sedulo distinguere oportet: nimirum conceptum dogmaticum inspirationis et concretam formationem Scripturae inspiratae sub respectu litterario-historico, critico et exegetico. Inspiratio nos certiores reddit de veritate eorum quae sub inspiratione dicuntur, attamen nil docet circa auctorem, originis aetatem, fontes, praesentem statum textus, litterariam formam et interpretationem libri inspirati. Eiusmodi res obiectum investigationis criticae et exegeticae esse possunt, et diversa omnino ratione statui, quin inspiratio in discrimen minimum, immo nec in quaestionem, veniat.

Inspiratio edicit, Deum esse auctorem principalem libri et fideiussorem eorum quae in ipso traduntur. In quibus autem conditionibus historicis opus in lucem prodierit et ad nos pervenerit, id per inspirationis conceptum nec coniici licet.

Quis est auctor libri Tobiae vel epistolae ad Haebreos? Ad inspirationem utriusque Scripturae quod attinet, quaelibet quaestionis solutio parilis valoris est. Quibus fontibus usus est auctor libri Iudicum? Forte debemus nostram ignorantiam fateri, sed tamen libros esse inspiratos certo constat. Librum aliquem hoc vel illo saeculo ante Christum natum scriptum esse, immediate parum refert quoad eius inspirationem. Posset quis videre in libro Iob historiam dramatis more expositam, vel etiam expositionem doctrinae religiosae per modum dramatis, in utroque casu est liber divinitus inspiratus. Quaestio illa utrum libri Iudith et Esther sint historici vel mere didactici, vel opera prophetica sub forma historica accensenda est quaestionibus de genere litterario, quae nullo modo per inspirationis conceptum solvi potest. Variae lectiones et primitivus status textus sunt, ut facile intelligitur, obiecta quae multo minus possunt a priori definiri.

Propterea non intelligitur cur nam, quum similes criticae quaestiones agitantur, conclametur: ubi manet tunc inspiratio? Manet enim extra controversiam. Qui turbatur statim ac fiat sermo de critica inquisitione in sacros libros, vel claram notio-

nem inspirationis non habet, vel nescit quonam proprie critica tendat, quidnam exigat. Etiam critica arte abuti homines possunt, et reapse abusi sunt. Critici infideles principii loco statuunt omnem supernaturalem influxum Dei in scriptores sacros et in eorum scripta a priori reiiciendum esse. Hoc tamen non est artis criticae principium, sed praeiudicium a priori, quod nobis revelat animi dispositionem nonnullorum criticorum, nullius autem usus est ad cognitionem sacrorum librorum comparandam. Sed non est cur alicui solicitudinem afferat, recta critica, quae cum pseudophilosophia illa nil commune habet. Haec ars est essentialis pars scientiarum, quae ad introductionem biblicam pertinent, nec procedit per praeiudicia sed per argumenta scientiae accomodata. Retineamus igitur firmiter inspirationem sacrorum librorum et veritatem eorum, quae in libris sacris continentur, at simul omnem eam libertatem criticae et exegesi permittamus, quam scientia requirit.

Verum quidem est in Bibliis nonnunquam libros posteriores declarationem aliquam sive literario-historicam sive exegeticam offerre circa priores. In tali casu ob inspirationis doctrinam obligamur, nisi loci illi posteriores et ipsi interpretatione indigeant, et diversimode intelligi possint. Sed in plurimis aliis biblicis quaestionibus Scriptura nullam authenticam declarationem suppeditat. Necesse est igitur recurrere ad traditionem et saepe etiam ad media pure humana. Propterea integra quaedam series quaestionum criticarum excedit fines doctrinae inspirationis. Item inspirationis factum nil dicit de recta interpretatione textus. Contra vero recta interpretatio magni refert, ad objectiones solvendas, quae inspirationi sacrae Scripturae opponuntur.

Lagrange hanc materiam pertractat in dissertatione quadam cui titulus: *l'Inspiration et les exigences de la critique*. Praemittit catholicum hominem firmiter retinere ob ecclesiae auctoritatem ante omnem criticam disquisitionem supernaturalem inspirationem Scripturae et veritatem omnis inspiratae sententiae, ulterius praemittit se (Lagrange) velle solum sensum literalem Scripturae considerare non autem typicum. Deinde suam sententiam his exponit: « De ce fait que l'Écriture est inspirée, il résulte qu'elle est vraie; mais puisqu'elle est vraiment le fruit du travail de l'écrivain sacré aidé par la lumière divine, nous

ne devons jamais lui prêter un autre sens littéral que celui que l'écrivain sacré a connu et qu'il a voulu exprimer... C'est donc en vain qu'on dirait: Les pensées de l'Écriture sont des pensées divines, elles ont des profondeurs insondables, elles émanent de la vérité absolue: tout cela est vrai, mais cependant la pensée divine qui nous est présentée dans la Bible est celle qui a été causée par Dieu dans l'esprit de l'écrivain sacré, et elle nous est présentée précisément comme l'écrivain la comprenait et comme il voulait nous la faire connaître. La seule règle de l'exégèse est de pénétrer la pensée de l'écrivain sacré et son intention; Dieu n'a pas voulu nous dire plus que ce que l'écrivain sacré a voulu dire. Ajouter à l'intention de l'auteur, c'est ajouter de son crû à la pensée de l'Esprit-Saint... Tout cela est très simple, admis par tous les commentateurs; je vais le réduire à une proposition évidente: Oui, *Dieu enseigne tout ce qui est enseigné dans la Bible, mais il n'y enseigne rien que ce qui est enseigné par l'écrivain sacré, et ce dernier n'y enseigne rien que ce qu'il veut y enseigner* (1). C'est très simple, mais c'est très fécond car cela suppose que l'inspiration ne change ni le sens des termes, ni le caractère des propositions, ni le genre littéraire des livres, et c'est seulement en étudiant le sens des termes, le caractère des propositions et le genre littéraire des livres que nous pouvons connaître la pensée et l'intention de l'auteur ». Sub hoc respectu, inquit Lagrange, de sacris Scripturis agendum sicut de aliis libris humanis agi solet: quam primum autem genuinus sensus inventus sit, ei contradici nullatenus licet. Quaerimus

(1) Usus vocis *enseigner* apud aliquos theologos gallos videtur abusum quemdam importare, siquidem dicunt Deum non omnia in Scripturis docere, ad indicandum non omnia Deum in Scriptura inspirasse nec pro omnibus vadem se constituisse. Ideo animadvertit Nisius: « Ad conceptum docendi, prouti haec vox generatim intelligitur, pertinet etiam intentio explicita aliquid alicui communicandi in eum finem, ut vi quadam attentio ac intelligentia discipuli dirigatur ad hoc obiectum idque aeducationis gratia. Admitti utique potest animadversiones quasdam profanae indolis, quae in contextu librorum sacrorum occurrunt, immo partes etiam maiores et integra scripta historica nonnulla proprie non esse habenda tamquam obiectum divini magisterii ». At sequiturne ex hoc eiusmodi res tamquam non inspiratas, et quae Deum vadem non habeant,

enim quid sacri scriptores categorice affirment vel negent. Ne quis tamen in hac re fallatur. Si in libro institutionum logicae adducatur ut exemplum veritatis contingentis haec propositio, Petrus occidit Paulum, non affirmatur realitas facti, sed solum contingentia eiusmodi iudicii. Item stultum esset narrationes alicuius fabulae ut facta realia accipere. Falsa est absolute ea propositio in qua res significata ut vera affirmatur, licet realitati non respondeat. Propositio vero inspirata est tantum in eodem sensu et in iisdem adiunctis categorica affirmatio in quibus quaelibet alia propositio non inspirata.

Veritas harum regularum est plane valde antiqua, sed eius usus est aliquando novus et inopinatus. Ubi psalmista ait: « dixit insipiens in corde suo non est Deus », quisque statim videt non affirmari hic Deum non esse, sed id stultum apud se cogitare. Item etiam multis in locis oportet distinguere inter ea quae Deus dicit, et ea quae refert ut aliorum dicta aut cogitata. Liber Iob non est solus liber in quo haec quaestio agitari possit. Non est a priori statuendum: Deus nequit piam historiam inspirare quae factorum realitati non respondeat; vel: Deus non potuit inspirare sacris scriptoribus ut externas notiones vel narrationes mutuarint, quin hoc ipso suas faciat et pro earum veritate respondeat; vel: Deus nequit demonstrationem inspirare, quae sit solum *argumentum ad hominem* nec ulteriorem vim habeat. Haec et similia oportet singillatim quaeri, cum casus contigerit, nam ex communi inspirationis conceptu id solum inferre licet, assertionem

adversariis dimitti posse? Nullo modo. In quantum sunt dicta auctoris inspirati, agnosci etiam et credi debent uti Verbum Dei (*Zeitschrift für kath. Theologie*, 1900, p. 678 sq.).

Utile est in hac materia recolere verba s. Thomae: « Etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit » (2. 2, q. 173, a. 4). Item verba illa Encyclicae: « Eorum (sacrorum librorum) verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera, et hermeneuticae leges indicare videantur » (Encyclica: « Providentissimus Deus » [ed. Vaticanae], pag. 22 sq.).

inspiratam veram esse debere eo sensu quo intenta est. Huc usque Lagrange (1).

Hae regulae, dummodo recte exponantur, valere possunt ad duplex illud genus difficultatum removendum, quod praecipue ex scientiis naturalibus et ex historia desumi solet.

Olim praecipue dubia ex naturalibus scientiis proponebantur; ex quo vero persuasio in dies firmior invaluit, non esse in sacra Scriptura quaerendam doctrinam quam tradere non vult, et scientiae nomine asserendum non esse nisi quod demonstrari possit, hoc genus difficultatum, licet penitus non obsoleverit, imminutum tamen notabiliter est. Operae pretium forte erit unum vel alterum exemplum afferre.

Scriptura loquitur de solis ortu et occasu. Nonne etiam nos id facimus? Nonne docti idem faciunt? Hoc loquendi modo neminem in errorem inducimus. Quia in eiusmodi loquendi ratione propositum est non realem naturam phoenomeni, sed eius apparentiam describere. Idem omnino Scriptura intendit. Non

(1) *Revue biblique,* V (Paris, 1896), 505, ss. Pater Mc Nabb, dominicanus, hunc conceptum ita illustrare conatur: « Propositio potest esse falsa et eius propior determinatio esse vera, vel viceversa. Propositio illa: America est insula maris mediterranei, est falsa... Sed hoc effatum rectum est: a vero abhorret, Americam esse insulam maris mediterranei. Item recta esse posset haec assertio: nonnulli putant Americam esse insulam maris mediterranei. Applicemus haec ad libros inspiratos. Sumamus assertum illud: Sol non movetur. Eo modo quo iacet, si abstrahatur ab omni contextu, potest esse scientifice vel absolute etiam falsum vel non. Sed assertio propius determinata: iuxta apparentiam videbatur omnibus ac si sol non moveretur, potest esse absolute vera. Rursus haec assertio: universum creatum est sex temporis spatiis, potest esse absolute vera vel falsa. Dein assertio haec: « anno 18° regni Ieroboam, filii Nabot, regnavit Abiam super Iuda », potest esse secundum rem minus accurata. Sed effatum magis determinatum: « historica documenta affirmant, vel historice certum est anno XVIII regni, etc. potest esse absolute rectum. Iamvero lumen divinae inspirationis communicat scriptoribus sacris certitudinem circa ea quae obiective certa sunt. Possumus igitur conclusionem deducere ex eius certitudine ad certitudinem obiectivam. Si conclusio certa est sub respectu propioris determinationis alicuius propositionis, haec determinatio est obiective certa. Sed in tali casu falsa esset deductio veritatis propositionis ex veritate propioris determinationis, conclusio ex qualitate *dicti* ad qualitatem *rei* » (*American ecclesiastical Review* [New York, Jan. 1901], p. 131).

modo extra sed etiam contra eius scopum fuisset, de his rebus ea ratione loqui, quae ab hominibus illius aetatis intelligi non potuisset, immo etiam modo pluribus inintelligibilis esset. Si quis in familiari vitae consuetudine scientiae formulas adhiberet, et nollet communi modo loquendi se accomodare, risum excitaret. Nam stulti est sapientiam suam etiam ibi venditare, ubi minime convenit.

Deus, sicuti etiam scriptores sacri, disserere volebant de rebus naturalibus naturali sermone. Deus profecto novit secreta intima cuiuslibet scientiae, verumtamen noluit ea nobis revelare, sed reliquit orbem terrarum et integrum universum sensibile inquisitioni hominum. Propterea impulit ita sacros scriptores, ut de his dissererent sicuti ceteri homines, homines vero de his loquuntur prouti sciunt, immo saepe minus bene quam ipsi sciunt. Ex parte Dei loqui humano more erat indulgentia quaedam, non ita vero ex parte scriptorum sacrorum, qui loquebantur et scribebant meliori modo, quo poterant, iuxta gradum auxilii divini sibi participati. Si quis diceret, eos credidisse sua dicta circa naturalia obiecta significare intimam eorum naturam adamussim scientifico modo, et ideo voluisse homines obligare ad hanc scientiam credendam, affirmaret aliquid quod nulla ratione demonstrari posset, immo, quod certo falsum est. Hoc Patres et theologi mediae aetatis maxima perspicuitate definierunt. Si nihilominus nonnulli docti homines id obliti sunt, deplorandum est, sed rei naturam non mutat.

Scriptura dicit mundum sex diebus creatum esse. Hoc, inquiunt, non cohaeret cum scientia. Cur non? Si quis consideret sex illos dies simpliciter tamquam sex diversa opera logice ordinata nulla scientia contradicere potest. Si quis consideret opus sex dierum tamquam genus aliquod metaphorae, qua tantum significatur virtutem creatricem Dei esse causam omnium generum entium, iterum nulla scientia iure contradicere potest. Et tamen haec et aliae interpretationes plus vel minus probabiles secundum catholicam doctrinam sustineri possunt. Quomodo igitur potest quis loqui de contradictione Scripturae cum scientia? Contradictio haberetur, si quis demonstrare posset unicam tantum interpretationem possibilem exegetice esse, et hanc scientifice nullo modo defendi posse.

Scriptura loquitur de firmamento (raqia, στερέωμα, firmamentum), etiam nos; Scriptura describit pluviam e caelo cadentem, nos pariter; Scriptura describit nubes ascendentes et descendentes inter caelum et terram, etiam nos. Haec omnia se habent secundum apparentiam visus. Quam parum insistant hagiographi notioni firmamenti solidi, ostendit inter alia haec circumstantia, describi scilicet (Isaiae 40, 22) coeruleum caelum tamquam tenue tentorii tegumentum.

Olim ut magna difficultas obiici solebat iuxta narrationem biblicam solem creatum fuisse quarta die post plantas, quae tamen sine luce solis vivere non possunt. Sed iam media aetate animadvertebatur a theologis hic intelligi posse partitionem idealem, secundum quam Deus primum universum tamquam magnam domum paravit in tres partes distributam lucem — aerem — orbem terrarum, et deinde partes singulas replevit entibus illis, quae ibi (vel re ipsa vel saltem secundum apparentiam) moventur: videlicet regnum lucis instruxit sole, luna stellis, regnum aeris (ad quod pertinent et aquae) avibus et piscibus, regnum terrae bestiis terrae et hominibus(1). Serius vero haec alia opinio invaluit solem lunam et stellas non fuisse creata quarta die, sed visibilia facta esse pro terra quarta die, postquam caliginosus circum terram aer planetarum opera translucidus evaserit. Haec opinio conveniret cum notionibus cosmogoniae, quae modo probantur. Ceterum etiam hoc in casu difficultas est exegetica: quae interpretatio magis conveniat sensui naturali verborum? Astronomi igitur possunt tranquille prosequi suam inquisitionem, ut tandem inter eos conveniat de formatione huius universi adspectabilis. Sacra Scriptura nec obstaculum nec auxilium praestabit in hac inquisitione.

Considerare terram uti centrum universi adspectabilis obvium est auctoribus librorum sacrorum sicut et nobis. Quantumvis edocti simus terram esse tamquam arenae micam in universo, manet semper nobis praecipua terra, et alia omnia tantum valent quantum inserviunt planetae quem incolimus (2).

(1) S. Thomas, *S. Theol.*, 1, q. 74, art. 2 ad 2.
(2) Cfr. Brucker, *Questions actuelles d'Écriture Sainte*, p. 190 ss.

Plura quidem alia enucleanda forent inde a terra firmiter fundata, quae in aeternum non movetur, usque ad iudaicas leges ciborum, at non est nobis propositum solvere omnes difficultates, quae in variis locis Scripturae occurrunt, ubi de rebus naturalibus agitur, sed tantum exemplis illustrare principium illud encyclicae « Providentissimus Deus » : Deus in Scripturis non tradidit nobis documenta scientifica, sed sese accomodavit modo loquendi hominum et plebi vulgari sermone locutus est. Contra hoc principium tam dilucide propositum nil est ex parte scientiae, quod rationabiliter opponi possit.

Porro historicae difficultates hodie primo loco veniunt, sive apparentes antilogiae illae quae inter varios Scripturae locos occurrunt, sive contradictio quae videtur esse inter narrationes sacrae Scripturae et narrationes profanorum fontium.

« Nous arrivons à la critique historique ; l'endroit n'est pas très sûr, c'est là que l'on se bat », inquit Lagrange, et illico proponit hanc quaestionem : Quum libri historici Bibliorum sub eadem forma externa se offerant ac alia opera historica, habentne eamdem naturam ac illa, et subiiciunturne eisdem regulis artis criticae ? Respondet : negative ! quatenus ea quae libri sacri positive affirmant vera esse debent, hac simplici de causa quia inspirata sunt ; affirmative ! quousque agitur de iis determinandis, quae reapse libri sacri affirmare volunt, secundum suam propriam rationem qua res proponere solent, cum inspiratio non mutet formam litterariam libri, et relinquat singulis assertionibus sensum quem praeseferunt.

Libri profani, qui historicam formam praeseferunt, in tres classes distribui possunt : sunt enim aut fabulosae narrationes, aut scripta vere historica, aut historia primitiva ut dici solet. Narrationes fabulosae vel ad meram delectationem ordinantur vel ad doctrinam. Si docere intendunt, dummodo doctrina sit recta, liber reapse veritatem continet, licet apparatus ille historicus veritati rerum non respondeat. Ubi scripta sint proprie historica, veritatem continere dicuntur, si quae narrant reapse contigerint prouti narrantur. Sed quicumque recte sapit, scit etiam historicos scriptores veritatem nec posse nec velle curare usque ad minimas circumstantias narrationis. Descriptio alicuius aetatis et hominum, qui in ea partem praecipuam in negotiis gesserunt, vera esse potest, etsi

nullum forte temporis spatium perfecte respondeat descriptioni quoad omnia et singula. Ad historiam primitivam quod attinet, continet et veritates historicas et asserta quaedam, quorum veritas investigari non potest. Scriptor historiae utraque voluit transmittere futuris aetatibus, non alium valorem ipsis tribuens praeter eum quem intrinsece praeseferunt. Prudens lector novit eum velle ita intelligi.

Quaeritur modo an tres isti modi historiam exhibendi inveniri possint in Scripturis sacris.

Lagrange respondet: « Si le roman ne tend qu'à satisfaire la curiosité, à plus forte raison s'il contient des doctrines malsaines, il ne saurait trouver sa place dans les livres inspirés, c'est trop clair. Mais s'il ne renferme qu'une doctrine exacte, avec une fiction proportionnée et adaptée à certains états d'esprit, s'il a pour but de relever les âmes par une comparaison ingénieuse et vraisemblable, il mérite le nom d'histoire édifiante, et on ne voit vraiment pas, pourquoi une histoire édifiante ne serait pas inspirée par Dieu. Il est d'expérience qu'une histoire inventée peut être plus utile qu'une histoire vraie » (1).

His assertis patris Lagrange has animadversiones addere licet: nonne Salvator noster saepe suam doctrinam tradebat sub forma brevis historiae, quam parabolam vocamus? Historia divitis Epulonis et Lazari pauperis longe verosimilius non est vera historia sed mera parabola. Si haec parabola extenderetur ad integrum librum, haberemus expositionem historicam quoad formam, cuius veritas consisteret solum in declaratione alicuius ideae religiosae, et cuius singulae descriptiones et ornatus huic scopo unice inservirent. Non videtur in eiusmodi narratione esse aliquid Deo indignum. Si hoc semel admittitur, iam non potest amplius ex conceptu inspirationis deduci an reapse tales libri in sacra Scriptura inveniantur necne. Santi Patres non quidem librum aliquem historicum sed poeticum, Cantica, tamquam productam allegoriam considerarunt, dum hodie multi, etsi non multi catholici, propendent, ut in eo agnoscant expositionem poeticam realis eventus. Contra agnoverunt sancti Patres in libris Iudith, Tobiae et aliis nonnullis V. T. veram historiam,

(1) *Revue biblique*, V. (1896) 510 s.

dum nostris diebus nonnulli tentaverunt eis solum valorem didacticum vel propheticum tribuere. Si autem quoad hanc rem traditio unanimem et explicitam sententiam pronuntiaverit, argumentum suppetit cuius valorem nullus catholicus denegare potest. Certissime dein supremum ecclesiae magisterium, ubi oportuerit, definitiva sententia, quae omnes obliget, litem componere potest, utrum scilicet liber aliquis Scripturae tamquam proprie historicus considerari debeat necne.

Habentur in Scriptura sacra libri indubie historici ex. gr. evangelia. Quoad hoc catholici unanimiter conveniunt et convenire debent. Sed, animadvertit Lagrange: « même dans la Bible, on ne doit pas supposer que l'auteur sacré entend affirmer l'exactitude des paroles et des faits avec la dernière acribie... Il suffit de parcourir les Évangiles pour constater que leurs auteurs rapportent les mêmes faits et les mêmes paroles avec des modalités différentes... Dieu n'enseigne que ce que l'historien veut enseigner. Il garantit la vérité, mais nous ne devons pas considérer un détail qui peint comme une pensée divine enseignée et nécessairement vraie » (1).

Hae locutiones, ut minimum dicam, possunt male intelligi. Si enim significant dictum sacri scriptoris, in quantum revera est eius dictum, posse esse falsum, tunc, ut vidimus, obstat unanimis Patrum autoritas maxima perspicuitate et decisione. Si solum dicitur inspirationem et infallibilitatem sacrae Scripturae referri ad res contentas non autem ad eorum accidentalem enunciationem, hoc est indubie verum. Narrationes Scripturae possunt etiam esse non accuratae, quatenus sint indeterminatae et incompletae. Evangelistae interdum tempus indeterminate adsignant, propterea quod forte penitiori notitia caruerunt; vel seligunt tantum quosdam eventus vel etiam partes alicuius eventus, alias vero omittunt. Ideo saepe difficile est vel etiam impossibile singulas narrationes inter se in aliquem cohaerentem ordinem certo reducere. Quoad hoc solae particulares disquisitiones lucem afferre possunt, non autem generales illi modi loquendi circa libertatem, quam scriptor habeat non curandi circumstantias minoris momenti, quaeque extra suum propositum inveniantur. In sacra Scriptura

(1) Ibid. 511 s.

debent omnia esse vera, quae sacer scriptor affirmat, etsi circumstantiae accidentales videantur, omnia, inquam, vera esse debent, non autem necessario etiam completa neque accuratissime determinata.

Quoad scripta historica tertiae classis haec scribit Lagrange: « Mais l'histoire des origines, cette étrange histoire où l'enseignement des faits et la légende incertaine se coudoient de si près! Si elle pénètre dans la Bible, comment pourrons-nous nous y reconnaître, discerner le vrai et le faux?... A-t-on prouvé qu'il nous soit nécessaire de le faire si vite et si aisément? L'Écriture est-elle aussi claire que quelques protestants l'ont prétendu? N'est-il pas au contraire de foi qu'elle est obscure?... Si donc Dieu a pu nous laisser dans l'incertitude sur la question de savoir si les faits de Judith sont vrais (1), pourquoi ne nous laisserait-il pas dans la même incertitude lorsqu'il s'agit de distinguer dans un même livre les divers éléments qui le composent? Mais qui distinguera? L'Église, en dernier ressort, les exégètes en premier lieu, comme ses humbles serviteurs... Ils (les Pères) ont pu supposer que dans l'histoire primitive il ne fallait pas prendre tout à la lettre, comme s'il s'agissait d'une histoire rigoureusement scientifique; ils ont admis que l'enseignement pouvait être donné dans le même livre et sous la même forme, par le récit de faits certains et sous le voile de la métaphore. Je le demande maintenant: si l'écrivain sacré est suffisamment vrai en proposant une vérité, dans des fragments réputés historiques, sous une forme historique qui n'est en réalité qu'une allégorie, pourquoi n'est-il pas suffisamment vrai, lorsqu'il propose cette même vérité sous une forme historique qui n'est en réalité qu'une tradition populaire dont la valeur n'est pas affirmée? Théologiquement où est la différence? (2) ».

(1) Potestne id tam absolute affirmari contra unanimem traditionem omnium saeculorum?

(2) Theologice distinguendum esset inter allegoriam et vulgi traditiones. Allegoria est producta metaphora, repraesentatio imaginaria sublimioris alicuius ideae, ex. gr. ecclesiae sub imagine navis, virtutum sub imagine hominum qui agant et loquantur. Dummodo allegoria alicui rectae ideae respondeat, eique plane accomodetur, nemo allegoricae expositioni veritatem denegabit. In quantum igitur populares narrationes nil

Immo si agitur de primitiva historia generis humani, in hac eo minus allegoria admitti posse videtur, quod in allegoria ne substantia quidem factorum retinetur, dum historiagraphus aperte veram historiam tradere intendit, etsi forte ampliatam populari narrandi ratione.

In Scriptura quidem metaphorae occurrunt, attamen sol, luna, stellae, animalia et plantae, nox et dies in primo capite Geneseos manifeste intelliguntur sensu literali. Metaphorae et allegoriae iam supponunt inclinationes poeticas, et conceptus expolitiores, qui alieni sunt a forma rudiori narrationum primitivarum, quae simplici prosa exaratae sunt: « Si donc nous comparons l'explication allégorique, tirée de la *Rhétorique* d'Aristote, et l'explication critique des modernes sur le caractère de l'histoire primitive, il paraît certain que cette dernière a deux avantages: elle sauvegarde la vérité substantielle des faits et elle est plus conforme au genre littéraire du livre ». Animis rudis vulgi aptatur expositio pure historica non magis quam expositio allegorica, sed traditionales potius modi loquendi suum obtinent locum, licet expurgari debeant, ut facta recte repraesentent. Hac theoria admissa pluribus quae ad ornatum pertinent, omnis valor historicus denegatur. Id iam allegoristae ad praxim deduxerunt. Permittine potest igitur hoc interpretationis genus? Sequitur responsio: « Il existe dans la Bible une histoire primitive dont le fond est garanti par la véracité divine; mais certaines circonstances peuvent être considérées, soit comme des métaphores et des allégories, soit comme une accomodation hébraïque de la tradition orale. Ces circonstances sont plutôt le

aliud sunt quam eiusmodi allegoriae (*Gralsage*) idem iudicium de his ferri potest. Contra vulgares traditiones historicae (i. e. quae respiciunt personas historicas vel eventus, ut ex. gr. traditiones circa bellum troianum) sunt veritas et poesis, saepe ita simul commixtae, ut unam ab alia discernere impossibile sit. Ex eo quod Deus inspirare possit imaginariam repraesentationem alicuius veritatis, nullo modo theologice sequitur, posse etiam inspirare historicam narrationem in qua verum et falsum intime cohaereant. Ubi de allegoria agitur satis est scire allegoriam nobis offerri, ut veritatem a poesi discernere possimus. At ubi agitur de vulgari quadam traditione non sufficit nosse eius characterem litterarium, ut praecaveatur periculum rejiciendi vera et amplectendi falsa.

vêtement de la vérité que des vérités enseignées pour elles mêmes, et on peut en les interprétant se préoccuper moins de leur objet propre que de leur sens par rapport à la vérité principale enseignée... Je distingue donc le fond et certaines circonstances, comme dans toute histoire primitive, et je dis que le fond de l'histoire primitive biblique sera toujour vrai. — Mais si les traditions des autres peuples peuvent être fausses, même dans le fond, pourquoi ce privilège en faveur des traditions bibliques? — Simplement à cause de la véracité divine, parce que la Bible est inspirée. Je n'ai pas recours à la fidélité avec laquelle les ancêtres du peuple élu auraient conservé leurs traditions mieux que les autres. De tout cela je ne sais rien. Je préfère m'établir sur un terrain surnaturel solide que de donner des preuves branlantes. Les traditions bibliques se présentent avec une supériorité morale et religieuse écrasante pour les autres. Il y a peu de rationalistes assez aveugles pour le nier. Il est donc très raisonnable d'attribuer ce fait à Dieu, et d'admettre qu'il nous enseigne une histoire vraie, quels que soient les moyens choisis par lui pour nous la faire parvenir. Il aurait pu nous enseigner toutes les circonstances avec la même certitude, et nous sommes disposés à les croire vraies, à moins que l'examen du texte ne nous montre que l'auteur n'entend pas les donner pour telles. Toute la nouveauté de notre exégèse consistera en ceci: tandis que les anciens attribuaient à l'auteur l'intention de tout affirmer tant qu'il ne faisait pas de réserves formelles, nous pensons que ces réserves pourront résulter de la critique, et seront plus facilement supposées dans ce genre littéraire que dans un autre. Le changement d'idées qui s'est produit a rapport moins à la nature de l'inspiration qu'à celle de certaines histoires. Ce n'est pas un écart dans le dogme, c'est un progrès dans la critique... Le grand nombre des allégoristes *(inter Patres)* nous montre, qu'on peut douter que certains faits des livres historiques soient enseignés comme objectivement réels... Les vrais théologiens voient avec plaisir nos travaux, mais il ne faut pas leur parler de changements essentiels dans le dogme, de livres qui ont été vrais et qui ne le sont plus; il ne faut pas limiter l'inspiration des livres canoniques ou déclarer qu'elle est en fait compatible avec l'erreur

formelle, ni supposer que Dieu enseigne positivement des mythes et des légendes sans réalité » (1).

Quomodo autem Lagrange concipiat coniunctionem eiusmodi historicae et simbolicae veritatis in nonnullis narrationibus sacrae Scripturae, practice videri potest in eius expositione primi capitis Geneseos et peccati protoparentum (2). In narratione creationis et primi peccati iuxta eius interpretationem vere historica sunt creatio hominis, eius probatio, tentatio, casus una cum eius sequelis. Sed Deum formasse hominem ex limo terrae est « symbolum, metaphora, vulgus traditio vel etymologia ». Solum docemur Deum auctorem esse etiam partis materialis hominis. Quae narrantur de situ paradisi nihil amplius significant, quam auctorem homini voluisse attribuere locum in pulchra aliqua regione. Lignum vitae verosimilius est symbolum immortalitatis. Arbor scientiae est fortasse vera arbor vel forte etiam symbolum boni alicuius spiritualis. Adductio belluarum ad Adam non est realis eventus, sed symbolum spiritualis excellentiae hominis. Eva reapse formata non fuit ex latere Adam, sed narratio illa est parabola. Serpens est simpliciter symbolum alicuius mali principii, et ita porro.

Exempla haec ostendunt, auctorem (Lagrange) qui theoretice distinguit suam interpretandi methodum ab allegoristarum systemate, ad factum quod attinet, saepe vestigia allegoristarum premere, siquidem, quae narrantur, non censet esse reales eventus, sed repraesentationes ideae universalioris vel sublimioris. Propterea potest iure provocare ad Patrum auctoritatem, qui saepe ad allegoricas interpretationes deveniebant, ubi non poterant sensum literalem assequi. Animadvertendum est tamen eosdem sanctos Patres saepe expresse declarare, se nolle sensum literalem reiicere, uti contigit ex. gr. S. Augustino quoad interpretationem creationis Evae (3). Origenes utique sensum literalem saepe deserit, sed

(1) *Revue biblique*, 1896, p. 512 ss.

(2) Ibid., p. 381 ss., praesertim p. 392 ss., et 1897 p. 341 ss., praesertim p. 358.

(3) S. Hilarius, existimans omnes psalmos, qui inscribuntur David et qui eos sequuntur sine titulo, David habere auctorem, identidem in difficultates incidit, et se extricare conatur per interpretationem allego-

ipse non est ecclesiae Pater. Dubitare mihi licet Patrum consensum circa absolutam veritatem omnium verborum sacrae Scripturae, ut Lagrange iterato animadvertit, ob interpretationes allegoricas carere unanimitate et universitate illa, quae requiruntur, ut eorum sententias sequi teneamur. Dantur quidem in sacra Scriptura parabolae, metaphorae et allegoriae. Ubi sensus literalis proprius esset irrationabilis, recurrimus ad figuratum, sicut in omnibus aliis scripturis, et etiam in communi usu quotidianae vitae. Sed licetne admittere sensum figuratum, solum ad vitandas difficultates, quas sensus proprius afferret? Hoc esset exegetis valde commodum profecto; sed essetne verus progressus?

Exegesim etiam per artem criticam profecisse, dubitare non licet. Attamen pariter negari non potest artem criticam ob inordinatum impetum multoties iam e recta semita declinasse. Multa adhuc sunt in statu formationis, unde si catholici procedunt lentius quam eorum adversarii, hoc ipso liberantur a necessitate toties agnoscendi se sumptus operis et temporis frustra impendisse. Qui se pedissequum facit systematis alicuius critici acatholici, hoc ipso se constituit adversarium fere aliorum omnium.

Schanz in secundo volumine suae « apologiae » summam historiae criticae Pentateuchi exponit, et in hanc conclusionem devenit: « hypothesis a pluribus recepta (Graf-Wellhausen) adhuc longe abest a cogenti demonstratione, immo nunquam eam instruere valebit. Ipse Wellhausen confitetur agi solum de historica probabilitate, ultra quam progredi non possimus. Kayser et Reuss fatentur plures theologos e schola critica continue impugnare conclusiones disquisitionum, quae circa Pentateuchum novissime peractae sunt ». Schanz adducit iudicia horum criticorum. Reuss: « Perdifficile est colligere quis sit verus fructus disquisitionum historicarum etiam penes gravissimos criticos, cum tantum sit chaos opinionum, tantus cumulus incompositarum hypothesium, quas unusquisque impugnat et auget, tanta multitudo determinatarum negationum et indeterminatarum assertionum, quas reperire contingit in communioribus libris introductionum ». Dill-

ricam (ex. gr., in Ps. 125 n. 1 et 2). Nihilominus alias fatetur (ex. gr. in Ps. 134, n. 13) expresse, se propterea nolle sensui literali praeiudicium afferre.

mann: « Si quis neglectis literariis indiciis statuere conatur per alias considerationes aetatem diversorum elementorum, quibus scriptum aliquod constat, rem aggreditur ad quam media non suppetunt, et criticam artem evertit ». Horst circa opus Vernes *Une nouvelle hypothèse sur la composition du Deutéronome:* « Porro breve hoc scriptum testatur quam incerti sint fructus criticae V. T., qui hodie uti certissimi habentur » (1).

In Germania exegetae catholici generatim mediocriter moventur critica illa Pentateuchi tractatione (2). Certe stultum non est, si quis antequam aliquid ut criticae conclusionem recipiat, prius expectet criticos inter se convenisse, et controversiam acerrimam ad exitum deduxisse circa omnia fere quae hic in quaestionem veniunt. Propterea non videtur esse locus celebrandi tanto fervore criticam artem, ut extra Germaniam, et praesertim in Galliae ephemeridibus (*Revues*) contingit. In hac re sicuti in omni alia scientifica disquisitione, animi quiete opus est potius quam turbulento zelo, cui nunquam sufficere videantur argumenta theoretica et practica, quibus ostendatur quam magnificos progressus fecerimus. Catholici possunt sana critica uti, etsi neque iugiter detineri se patiantur assertis non demonstratis et debilibus hypothesibus incredulorum criticorum, neque ea tamquam sapientiam admirandam revereantur.

Ut maneamus intra fines narrationum historicarum Scripturae, novimus nos catholici, in eiusmodi narrationibus referri posse extraneas narrationes, quae, ex eo quod insertae sint in sacram Scripturam, tutiores non evadunt, quam ex se sunt. Prat scribit de hac re occasione dissertationis Lagrange cuius supra meminimus: narrationes historicae Bibliorum certo verae sunt, sed verae eo sensu quo verae esse volunt. Si proinde ex. gr. narretur aliquem dixisse hoc vel illud, scripsisse haec vel illa, non sequitur dicta vel scripta haec vera esse. At scriptorem historiae, qui scribit circa longe remotas aetates, necesse est inniti extraneis testimoniis. Id valet etiam de hagiographis biblicis, quia admitti nequit eventus quos narrant revelatione supernaturali iis nota fuisse. Adhibuerunt fontes profanos. Nostrum est diiudicare quo-

(1) Schanz, *Apologie II*, (Freiburg 1897), 189 ss., 257 ss.
(2) Cfr. H. Höpfl, *Die höhere Bibelkritik*, (Paderborn 1902), p. 29 ss.

usque eiusmodi narrationes aliunde sumptae ob insertionem in sacram Scripturam characterem infallibilitatis participent.

Tamquam primam regulam Prat statuit (1): « Le fait qu'un discours ou un document est consigné dans l'Écriture ne confère par lui-même aucune valeur nouvelle à ce discours ou à ce document ». Mandatum aedificandi templum quod denunciavit Nathan Davidi, praedictio Pauli Mileti facta, fratres, qui convenerant, faciem suam amplius visuros non esse, erronea erant, licet in sacra Scriptura recenseantur. Si igitur nec omnia dicta prophetarum et apostolorum in Scripturis relata vera simpliciter censeri possint, multo minus infallibilitatem absolutam sibi vindicant extranea documenta, quae hagiographi nobis tradiderunt. In libris Esdrae, Nehemiae, Machabaeorum habentur eiusmodi inserta, quae errores historicos continent (2). Posset quis suspicari errores librariorum; sed imprimis, inquit Prat, haec solutio nequit ubique satisfacere, et praeterea, aeque bene dici potest documenta adhibita eiusmodi errores iam continuisse. Ubi hagiographi solum narrationem referunt, quin eius veritatem testentur, inerrantia Scripturae iam verificatur ob factum ipsum narrationis, licet res, quae in ea continentur, vel ex integro vel ex parte falsae sint.

Nulla igitur occurrit difficultas, si aut expresse nobis traditur res contenta, ut ab aliis accepta, aut contra eius veritas disserte asseritur. In hoc altero casu Deus testis est veritatis, non autem in priori casu. Sed negotium his non absolvitur. Saepius enim narrationes aliunde acceptae nobis communicantur, nulla facta expressa mentione valoris qui eis tribuitur.

Iamvero si expressa mentio fiat usus extranei documenti, ut ex. gr. in secundo libro Machabaeorum, Prat statuit hanc alteram regulam: « Rien n'empêche, du moins en théorie, un auteur inspiré d'emprunter à un historien profane le récit des faits qui serviront de cadre extérieur à son enseignement, sans garantir la pleine et entière authenticité de tous ces faits ». Sacra Scriptura homines de industria docet veritates religiosas et morales. Sed ut eas accomodet lectorum intelligentiae, eas

(1) *Études religieuses*, LXXXVI, (1901), 479.
(2) Ibid., 479 ss., 493 ss.

frequenter non proponit in abstracto, sed concrete repraesentat forma historica vestitas. Neque igitur repugnat Spiritum Sanctum hagiographum inspirasse, ut narratione uteretur aliorum ad illustrationem alicuius veritatis religiosae vel moralis, etsi non propterea in ea narratione rigorosam historicam veritatem agnosceret. Sive in libro Iob ex. gr. eventus et sermones sint historia sive poesis, nil mutatur quod attinet internam veritatem, de cuius propositione agitur.

Difficilior est quaestio, et ea quae multam diligentiam requirat, si scriptor inspiratus in libro qui historicam formam praeseferat, factum simpliciter narrat, nulla aliena documenta expresse allegans. Quoad hunc casum observat Prat: « Un historien, sans le dire en propres termes, peut faire comprendre qu'il met en œuvre des documents, par ses habitudes connues, sa méthode de composition, divers indices internes ou externes, qu'il appartient au critique de démêler ». Ita indubium est ex. gr. in chronicorum libro documenta referri, quae partim in meliori, partim vero in deteriori conditione erant. « Et, chose étrange, il ne songe pas à les coordonner, encore moins à les harmoniser, quand leur divergence d'ensemble et leurs antilogies de détail sautent aux yeux. Ici, comme partout, il se montre consciencieux jusqu'au scrupule ». Citare non est simpliciter citata affirmare, et etiam si quis scriptorem aliquem veracem existimet, nihilominus ei infallibilitatem non attribuit. Porro etsi scriptor inspiratus expresse non dicat, se aliena allegare, tamen cognosci potest ex obiecto et ex modo loquendi reapse allegata referri, et consequenter ea quae dicuntur habenda et exponenda esse ut citata. Hac de re tertia regula: « Dans les textes purement historiques quand l'inspiration assiste seule l'hagiographe sans révélation proprement dite,... nous souscriront volontiers à ce principe (ex Lagrange) d'exégèse: *Dieu enseigne tout ce qui est enseigné par l'écrivain sacré, et ce dernier n'y enseigne rien que ce qu'il veut enseigner* ». Solum, animadvertit Prat, addendum esse: « La portée et l'étendue des affirmations d'un auteur nous sont connues par le genre littéraire et les lois qui régissent le langage humain » (1).

(1) *Études religieuses,* LXXXVI, 496.

Vix opus est dicere assertiones eiusmodi, licet multa vera contineant, nihilominus ulteriori determinatione indigere, et magna tantum cum cautione in usum deduci posse.

Non licet, ut etiam Prat satis innuit, eo progredi ut affirmemus, ex. gr. eo quod auctor secundi Machabaeorum usus sit alienis fontibus, in hoc solum differre eius librum (inde a cap. 3) ab aliis narrationibus historicis (ad certitudinem quod attinet), quod Deus nobis testetur, quae in eo continentur narrata esse a Jasone. Id satis non esset ut integer liber inspiratus dici posset, ideoque talis cuius Deus vadem se constituisset. Sicut neque licet cum rationalistis dicere: auctor Genesis solum affirmavit ea quae alii narraverant, ergo forte integra patriarcharum historia non est nisi popularis fabula quae, inservit quasi exterior vestis ad propositionem doctrinarum religiosarum et moralium. Si quis velit regulas illas Patris Prat admittere, manet semper in singulis casibus demonstrandum esse, alienam narrationem allegari, et hunc vel illum valorem a scriptore inspirato ei tribui. Ulterius ubi scriptor inspiratus narrationes refert, quae errores contineant, vel saltem tales quarum veritatem ipse affirmare non vult, id immediatis lectoribus quibus liber dirigebatur sufficienter indicari debuit. Admittere enim non possumus proximos lectores ex modo expositionis in errorem necessario ductos esse, etsi diligentiam necessariam adhibuissent, et post aliquot tandem saecula, immo post millia annorum, nonnullos doctos homines nova arte instructos detegere potuisse: « hic non loquitur ipse auctor, sed alienum fontem loquentem inducit, pro cuius veritate suam auctoritatem non interponit ». Liber inspiratus potest quidem allegationes tacitas continere, non autem ita reconditas, ut fideles fere universi existiment se obligari ad credendas tamquam a Deo testificatas narrationes, quae reapse falsae sint. Etsi indubie admittendum est tamquam criterium negativum: non omnia quae in Scriptura sacra, etiam in libris historicis, scripta sunt esse propterea absolutam veritatem divinam, sed quo sensu singula vera sint determinandum esse secundum regulas sanae criticae et exegesis, nihilominus inde deduci nequit hoc consequens: ergo debent integra Biblia nostrae diligentiae libere relinqui sicut quilibet alius liber humanus. In operibus enim humanis etiam postquam sensus auctoris inventus est, ulterius quaeri potest: estne hoc verum an falsum? Hoc

tamen nullo modo contingit quoad sacra Biblia, neque quoad totum, neque quoad partes singillatim sumptas, nam quaelibet sententia Scripturae, dummodo sit ipsius Scripturae propria, est inspirata, et omnis sententia inspirata est infallibiliter vera, eo sensu quo est intenta. Non licet coartare inspirationem ad aliquas partes Scripturae, nec inspirationem ita extenuare ut errorem non excludat.

Alia est quaestio, quid voluit Deus ut verum asserere per auctores inspiratos? Haec quaestio non potest solvi per aliquod principium commune, sed quoad diversos libros, et non raro quoad diversas partes eiusdem libri, diversam solutionem exigit. Omnis sententia Scripturae est vera, sed quid reapse dicatur non est semper meridiana luce clarius. Neque igitur debet permisceri quaestio dogmatica de inspiratione et de infallibilitate omnium textuum Scripturae cum quaestione exegetica circa sensum et extensionem singulorum librorum et textuum sacrae Scripturae. Huius alterius quaestionis causa nequaquam iam quoad omnia finita est, sed ampla materia doctae inquisitioni adhuc relinquitur.

Mignot, archiepiscopus albiensis, litteris ad *Revue du clergé français* datis d. 17 Aprilis a. 1901, dicit in encyclica *Providentissimus Deus*, determinari quid muneris hodie catholicis doctoribus incumbat. « Artis criticae » nomine neminem terreri debere, cum nihil aliud significet nisi accuratius examen textuum secundum lumen quod praebent nova inventa, et secundum adminicula illa, quae diligens inquisitio doctorum nostrae aetatis suppeditat, circa historiam, rerum naturalium scientiam, linguarum peritiam et alia eiusmodi. Criticam artem igitur esse dicit medium scientificum ad discernendum inter verum et falsum. Artem illam inspirationi non adversari, sed iuvare ad inveniendum, quid sit inspiratum (1).

Critici rationalistae adversariis obiiciunt, eos veritatem vel scientiam non quaerere, sed tantummodo tueri eis propositum esse auctoritatem doctrinae ecclesiasticae, ac propterea antequam inquisitionem instituant exitum iis notum esse. Mignot vero respondet: « Nous pouvons retourner leurs paroles contre eux

(1) *Revue du clergé français*, XXVII (1901), 14 s.

et leur dire en toute vérité: ce qui vous préoccupe, ce n'est ni la vérité, ni la science; avant d'avoir cherché, vous avez déjà conclu. Ils nous reprochent de nous appuyer sur l'autorité de l'Église: que font ils eux mêmes sinon s'appuyer sur la négation de tout surnaturel? Pour eux, rien n'est vrai, rien ne saurait être vrai de ce qui porte la marque d'une action spéciale de Dieu. Dans ces conditions la critique n'est plus qu'une négation, et, pour être bon critique, il suffirait d'être athée ou impie » (1).

Methodum discernendi et componendi qua critici isti utuntur, quaque tam accurate indicare noverunt, quot sint partes in aliquo libro Scripturae, et cuius sit unaquaeque pars, assimilat Mignot ludo cuidam sinensi (casse-tête), quem serium laborem esse nemo dixerit. « Nous croyons, pour notre part, qu'un travail poussé à de pareilles conséquences équivaut à une colossale mystification, et l'on conçoit l'exaspération des critiques conservateurs quand il voient ce que l'on sert au nom de la science ». Nihilominus negari non posse, artem criticam magnum opus confecisse quod despicere non licet, sed hoc potius ad laborem nos incitare debere. Timorem simul et excitationem vitanda esse.

Supponamus futurum ut quaestiones biblicae in favorem criticae contra traditionalem doctrinam definitive solvantur. « Notre foi serait-elle en péril? Nullement, car le rédacteur définitif étant inspiré, comme l'auteur du deuxième livre des Machabées, comme saint Luc, il ne nous dit que ce que Dieu a voulu dire; et l'on sait que Dieu ne trompe pas. Laissons donc pour aujourd'hui les critiques se déchirer en déchirant, hélas! les pages sacrées, et continuons notre chemin » (2).

(1) Ibid., p. 23 ss. Critici infideles saepe utuntur contra catholicos hac dicendi ratione: Vos catholici homines similes estis, quoad criticas inquisitiones, avibus cavea detentis, quibus lignei septi loco dogmata vestrae ecclesiae exstant. Attamen tales metaphorae nihil probant. Siquidem eadem facilitate dici posset: vos critici homines estis tamquam aves detentae visco dogmatismi fidei adversi. Quod si figuram protrahere liberet, posset quaeri: quae avis melius se habet cavea detenta an visco? Eiusmodi loquendi modi maius pretium non obtinent ob frequentem repetitionem. Verum est: fidem sua dogmata habere, et incredulitatem pariter habere sua dogmata.

(2) Ibid., p. 35.

Progressus sane habeatur! declarat Durand, sed: « Dans cette marche en avant, la préoccupation souveraine du critique doit être de faire prévaloir une expression plus juste de ce qu'il croit être la vérité. Pour y réussir, deux qualités lui sont nécessaires: le désintéressement et l'exactitude. Oui, le désintéressement! Car il en faut pour ne pas identifier le succès de nos propres idées avec le triomphe de la vérité, ni croire que les blessures faites à notre amour propre sont autant de défaites infligées à la cause de la justice. La controverse biblique est-elle toujours restée au-dessus des questions de personnes, des jalousies d'école, j'allais dire des intrigues de coterie? Il est permis d'en douter..... Laissons ces procédés qui n'ont rien de scientifique; les questions de doctrine sont assez complexes par elles-mêmes, sans qu'il soit besoin de les emmêler encore » (1). Dummodo adsit bonum propositum quaerendi veritatem nec quidquam praeter veritatem, alter alteri immoderate non exprobrabit errores si qui forte accidant.

His suppositis denegandum non est rationabili arti criticae ius existendi. Iamdiu, antequam hodierna animorum commotio exsurgeret, catholici exegetae agnoverant in Pentateucho reperiri nonnulla, quae Moysen auctorem non haberent: posteriora additamenta, glossas, emendationes et similia. Igitur solum quaeritur quousque concessiones eiusmodi extendi possint. Quoad hoc tamen unanimis responsio huc usque non habetur, sed variae opiniones catholicorum doctorum differunt plus minus ab invicem (2). Fortasse his omnibus, quae dicta sunt, non obstantibus, manet adhuc alicui timor quidam, ne ob eiusmodi libertatem tractandi sacram Scripturam, aditus pateat tandem rationalistarum methodo interpretandi, et omnis differentia essentialis removeatur inter rationilisticam et catholicam exegesim. Verumtamen, licet, cum nobis propositum sit diversas potius opiniones exponere, impossibile sit modo quaestionem theoreticam fusius pertractare, sequentes tamen differentiae indicari possunt:

Primo. Catholici agnoscunt ecclesiae ius pronuntiandi iudicium obligans circa indolem sacrorum librorum et eorumdem

(1) *Études religieuses,* XC (1902), 334.
(1) Ibid., 350 ss.

partium, dum contra rationalistis privatum iudicium est supremum et ultimum tribunal.

Secundo. Ecclesia suum iudicium revera iam protulit circa indolem historicam plurium narrationum, ex. gr. relate ad lapsum generis humani. Quoad haec igitur nullum est dubium.

Tertio. Etsi quoad indolem historicam vel symbolicam nonnullorum librorum Scripturae (ex. gr. Esther, Iob, Tobiae) fortasse variae opiniones esse possint, salva fide catholica, nihilominus historia salutis nostrae quoad suas partes essentiales (ex. gr. historia patriarcharum) secundum communem catholicam sententiam est vera historia non autem, ut rationalistae putant, maiori ex parte fabula, quae versetur circa historicum aliquod fundamentum vix amplius cognoscibile. Apud catholicos igitur relate ad hanc historiam solum haec quaestio adhuc institui potest, num quaedam particulares circumstantiae ad essentiam spectent, an potius haberi possint uti ornatus accidentales, qui solum ad veritates religioso-morales significandas ordinentur.

Quarto. Dum infidelis non veretur errores in Bibliis admittere, catholicis persuasum est, omnem sententiam divinitus inspiratam veram esse debere; noverunt tamen veritatem gradus admittere, ubi agitur de eius communicatione hominibus facta, et expressionem veritatis aliam esse posse stricte dogmaticam, aliam rhetoricam, poeticam, metaphoricam, allegoricam. Propterea pertinet ad exegetam catholicum inquirere per criteria interna et externa qualem loquendi modum scriptor usurpet, et secundum hunc modum textum intelligere et interpretari.

Brucker scribit hac de re: Quaestio circa veritatem alicuius sententiae et quaestio circa eius sensum proprium vel figuratum sunt duae quaestiones omnino diversae. « Nous savons ce qu'il faut penser de la première question. Quant à la seconde, il est certain qu'elle peut légitimement se poser dans quelques cas. Par exemple, le récit de la création, dans le premier chapitre de la Genèse a reçu de beaucoup d'exégètes catholiques, à commencer par des Pères très illustres une interprétation où la métaphore joue un rôle plus ou moins considérable. A cela il n'y a rien à dire, pourvu que la *vérité* du texte, dans son sens naturel (qui n'est pas nécessairement le sens *littéral*, matériel), soit maintenue, et que l'interprétation ne devienne pas violente

et forcée. Il est manifeste, en effet, que le premier des récits de la Bible a un caractère particulier qui permet de ne pas le traiter absolument comme les suivants. Peut-être l'interprétation métaphorique est-elle encore autorisée, dans une certaine mesure, pour quelques fragments réputés historiques: c'est un problème à débattre dans chaque cas, suivant les règles de la saine exégèse » (1).

VII. **Influxus divinus in intellectum sacri scriptoris.**

Inquisitio circa sensum et extensionem inerrantiae sacrae Scripturae est gravissima et difficillima omnium quaestionum, quae ad inspirationem referuntur. Neque hucusque in hac re ad solutionem perspicuam, neque ad unanimem sententiam pervenimus.

Attamen eatenus conveniunt inter se theologi circa ipsam inspirationis essentiam, quatenus singuli inspirationis nomine intelligunt operationem Dei in intellectum et in voluntatem scriptoris sacri, per quam Deus reapse sit auctor principalis et primarius sacrorum librorum, et sacri scriptores sint eius instrumentum, utique vivum, intelligens, liberum.

Quibus concessis reliquas quaestiones, quae exsurgunt, absque dispendio fidei catholicae alio et alio modo solvere licet.

Quaestiones eiusmodi sunt praecipue tres, quae ultimis temporibus iterato pertractatae sunt: 1° Quomodo exponendus influxus divinus in intellectum sacri scriptoris? 2° Quid tenendum circa verbalem inspirationem? 3° Estne apostolatus sufficiens criterium inspirationis?

Ad primam quaestionem quod attinet, potest supponi, quod ab omnibus admittitur, Deum scilicet supernaturaliter operari in voluntate scriptoris ut habeatur scriptum inspiratum; quae enim homo mere propria voluntate scribit cum solo Dei concursu naturali, sunt opus humanum, non autem eo sensu opus Dei, quo sunt libri sacri secundum ecclesiae doctrinam. « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines ». (2 Petri 1, 21).

(1) *Études religieuses*, LVIII (1893), 381 s.

Attamen Deus non movet humanam voluntatem sicuti movetur lapis vel truncus, sed medio intellectu, cuius est voluntati proponere obiectum in quod eius activitas tendat. Nihil enim volitum, nisi praecognitum. Hoc valet etiam in ordine supernaturali, quia gratia naturam non corrumpit. Habetur igitur etiam per inspirationem supernaturalis influxus Dei in intellectum hominis, ita ut non sequatur solum naturale iudicii sui lumen. Proinde theologi unanimiter docent, *ad inspirationem requiri non solum supernaturalem directionem voluntatis, sed etiam supernaturalem illustrationem intellectus.* Sed in quo haec consistit?

Scriptor sacer vel scripto consignare debet, quae prius non noverat, immo forte nec nosse poterat, vel ex mandato Dei communicare debet cognitionem quam iam habebat. In priori casu requiritur revelatio h. e. auctoritativum Dei magisterium per quod ignorantia scriptoris humani suppleatur (1). In secundo casu haec revelatio non exigitur; nam ut quis scribat quae novit, non est opus iterum addiscat quae novit. *Quum igitur inspiratio esse possit sine revelatione, revelatio non pertinet ad essentiam inspirationis.* Potest tempore cum ea coincidere, sed est semper ratione ab ea discernenda. Neque omnis qui recipit novam supernaturalem cognitionem a Deo, propterea mandatum accipit hanc ipsam nomine Dei scribendi; neque quicumque a Deo ut instrumentum assumitur ad compositionem alicuius libri, necessario recipit revelationem rei antea sibi ignotae.

Etiam cum revelata sunt scribenda opus non est revelationem fieri ipsi scriptori, hic enim potest etiam aliunde notitiam reve-

(1) Cogitari posset etiam de scientia infusa. Haec dupliciter differt a revelatione: primo quia scientiae infusio est semper processus mere internus, dum revelatio etiam exterius hominibus communicari potest, ut ex. gr. quum Christus docebat suos discipulos. Secundo per scientiam infusam Deus solum participat homini cognitionem, quin eum liget ad credenda ob divinam auctoritatem ea quae cognoscit, immo quin necesse sit, ipse homo sciat, undenam hae cognitiones originem ducant. Per revelationem vero Deus ut testis et fideiussor veritatis sistitur coram homine, et exigit fidelem subiectionem intellectus sub divino testimonio. Quia tamen per inspirationem pariter Deus auctoritative circa hominem agit, potest hic scientia infusa extra quaestionem manere, quia connecteretur cum inspiratione eadem prorsus ratione ac scientia naturalis.

lationis habere. Lucas non scribit in suo evangelio revelationes sibi factas, sed quas apostoli acceperant, quasque iamdiu praedicaverant. Ubi agitur proinde in simili casu de ipsis fidei obiectis, iudicia fidei supernaturalia praecedunt inspirationem, non autem ad eam intrinsece pertinent.

Quum igitur auctor per naturalem vel supernaturalem cognitionem, quam possidet, non sit adhuc inspiratus ad eam scripto consignandam, *ut habeatur inspiratio imprimis intercedere debet hoc supernaturale iudicium: haec vel illa scripto consignanda sunt.* Hoc iudicium sequitur supernaturalis motio voluntatis et assistentia divina ad exsecutionem, quae omnia ex parte Dei diriguntur ad scopum tradendi ecclesiae librum uti sacrum, qui ad usum publicum inserviat (1).

Si igitur fidelis theologus scribat veritates revelatas, id quod scribit est obiectum sacrum, saltem quatenus revelatum. Immo ille theologus habet quoad obiectum eam supernaturalem illustrationem, quae ad credendum necessaria est. Eius quoque voluntas potest supernaturaliter dirigi ad scribendum sicuti ad aliud quodlibet opus bonum. Nihilominus eius liber non est inspiratus. Illustratio et motio, quas recepit, diriguntur ad exercitium actus virtutis supernaturalis. Deest tamen speciale illud gratiae donum (gratia gratis data), quod hominem habilem reddit ad scribendum nomine Dei. Immo quando generalia ecclesiae concilia fidei definitionem faciunt, et scripto consignant, locum quidem habet specialis assistentia Spiritus Sancti ad errorem praecavendum, et vi istius assistentiae ac missionis a Christo acceptae ecclesia docet infallibili auctoritate, quae omnes obligat, inspiratio non habetur, quia concilia a Deo potestatem docendi habent non autem mandatum scri-

(1) Librum reapse ut verbum Dei scriptum ecclesiae ad eius usum tradi non pertinet, ut evidens est, ad inspirationem ipsam, sed eam supponit. Deum vero influxum suum ordinare ad hoc ut liber suo nomine ecclesiae tradatur, pertinet ad notionem inspirationis, prout ab ecclesia haec intelligitur. Quae continentur in libro inspirato fiunt per inspirationem obiectum fidei ecclesiae. Sed si Deus librum alicui inspiraret ad eius privatum usum et utilitatem, non teneremur credere, quae in eo continentur. Eiusmodi inspiratio differret essentialiter ab inspiratione nostrae Scripturae sacrae, similiter ac revelatio privata differt a publica revelatione.

bendi libros nomine Dei. Totum id quod ecclesiae eiusque membris communicatur supernaturalis illustrationis et directionis et assistentiae, non sufficit ad librum inspiratum exarandum; charisma inspirationis cessavit.

Ut Deus sit auctor principalis alicuius libri, debet humani scriptoris voluntatem ad scribendum determinare et eius intellectum illustrare, ut homo sciat quae secundum intentionem Dei scribenda sint. *Iudicium supernaturale intellectus igitur est per prius practicum, et versatur circa scriptionem* harum vel illarum rerum.

Potest in hac, sicut in qualibet alia illustratione, distingui inter subiectivam mentis illustrationem et eius obiectum, quod per eam sub nova luce ponitur. At de hac re hic agendum non est.

Iamvero nonnulli theologi putant eiusmodi iudicium practicum supernaturaliter efformatum de re scripto consignanda non esse sufficiens, sed in quolibet casu, etiam ubi agitur de re iam praecognita, necesse esse Deum scriptori iudicium supernaturale speculativum infundere de veritate propositionum scribendarum.

In *Praelectionibus dogmaticis* (I, 616) scripseram: *Ut quis sit scriptor inspiratus non requiritur semper nova acceptio rerum scribendarum, sed requiritur supernaturale iudicium, quo scl. homo iudicat sibi haec et haec scribenda esse.* Haec vero illustraveram similitudine scriptoris, qui utitur secretarii opera, et ei dicit, quae scribere debeat, non repetens de novo, quae secretarius iam per se scit.

Haec vero *Chauvin* non arridenl (1). Ad inspirationem exigit non solum *directionem*, sed etiam supernaturalem illustrationem intellectus, quae duplex munus habeat: debet imprimis *actu et in ordine ad scribendum* conceptus vel ideas (species intelligibiles) repraesentare; dein secundo potentiam elevare eamque ad actum eliciendum adiuvare (iudicium de acceptis); sed nihil novi revelare, nullas ideas adducere, nullam novam cogitationem excitare (2).

(1) *L'inspiration des divines Écritures* (Paris, 1897), p. 39 ss.
(2) Ibid., p. 62.

Fateri debeo, mihi idem contingere quod accidit Domino Dick, qui scribebat P.[1] Lagrange relate ad hanc *illuminationem:* «Laissez-moi vous dire que même après avoir relu bien des fois votre exposition, je ne pourrais pas affirmer absolument que vous avez donné une notion qui me semble claire de cette illumination, et tracé une ligne de démarcation évidente» (1). Lagrange agnoscit suam locutionem fortasse aliquantum obscuram fuisse, et eam dilucidare conatur (2).

Ut ad animadversionem redeamus, quam mihi Chauvin dirigit, imprimis moneo, me non esse locutum de *directione* sed de *supernaturali illustratione intellectus*, qua scriptori sacro indicetur, quae scribere debeat. Deinde de hac illustratione dico: *Illustratio intellectus ideo tantum requiritur ad inspirationem, quia homo ex una parte debet non ex nomine suo, sed ex nomine Dei per Scripturam loqui ad alios, ex altera vero parte est instrumentum vivum, quod a Deo movetur per influxum in intellectum et voluntatem.* Si igitur Chauvin requirit: « que la faculté intellectuelle fût intrinsèquement saisie, pénétrée, surélevée par la lumière divine », non video quid per haec contra me demonstretur. Ego quidem expresse doceo Deum supernaturaliter illustrare intellectum et eum ita adducere ad iudicandum, quid scribendum sit. Sed hoc ipsum, ut videtur, Chauvin satis non est. Saepius loquitur de ideis disponendis, repraesentandis, et clare proponendis et de nova cognitione veritatis earum. Sed ideae possunt etiam ante inspirationem esse ordinatae, clare intellectui praesentes et tamquam verae cognitae. Debetne ad scopum inspirationis, quod ordinatum est iterum ordinari, quod clarum est iterum declarari, theoretica cognitio veritatis jam habita debetne necessario adhuc augeri? Si quis ex. gr. scribere debeat quod oculis suis vidit, auribus suis audivit, et cuius bene meminit, cur satis non erit ad inspirationem mandatum Dei ad scripto consignandum suo nomine, quod clare novit? Cur non sufficiet *iudicium supernaturale de scribendis*, quod huic mandato aequivalet? Per eiusmodi influxum supernaturalem iam eatenus sublimior veritatis gradus rebus attribuitur, quatenus

(1) *Revue biblique* (1896) p. 491.
(2) Ibid., p. 499 ss.

contradictorium sit Deum hac ratione movere ad affirmationem errorum. Si quis vero teneat ad essentiam inspirationis necessario pertinere, veritatem antea cum certitudine cognitam, antequam scripto consignetur, iterum fieri obiectum alicuius iudicii theoretici supernaturalis, rogare liceret huius assertionis demonstrationem. Chauvin, quoad intelligere potui, nullam demonstrationem conficit; nam assertio illa, si Deus per suum influxum supernaturalem solum efficit hominem scripto consignare veritates, quae ipsi iam notae et praesentes sunt, nequit ex hoc dici auctor principalis scripti ita exarati, assertio haec non est demonstratio sed pura affirmatio.

Si Deus moveat supernaturaliter auctorem sacrum, ut scribat ad aliorum doctrinam hoc vel illud ipsi iam notum, hoc ipso suas facit cogitationes et iudicia scriptoris, eorum veritatem testatur, et eos docet ad quos scripta diriguntur. Liberum utique est theologo opinari, Deum scriptoribus inspiratis semper novam speculativam cognitionem impertiri, etiamsi omnia bene sciant et clare menti praesentia habeant. At primo non debet quis velle opinionem sine demonstratione aliis imponere; et secundo quaeri ulterius potest, an sit prudens consilium, rem ex se difficilem difficiliorem reddere nova obscuritate.

Aliquantum clarius proponit Mc Nabb, quid intelligendum sit nomine « supernaturalis iudicii ». « Prae oculis (inquit se referens ad Scripturas V. T.) habere debemus indolem supernaturalem populi iudaici. Licet naturalis expositio eius historiae reapse sufficiens videatur, idcirco tamen non excluditur supernaturalis intelligentia. Hic ramus stirpis semiticae fuit obiectum specialis ordinis divinae providentiae. Inde a sua origine conscii fuere divinae alicuius electionis et futurae sortis, quae maximi momenti foret pro universo mundo. Eius eventus, eius clades, alternatae regiminis formae, vices quas religionis studium apud eos patiebatur, omnia eo dirigi videbantur, ut evidentius manifestaretur valor arcanarum promissionum, quae eis fuerant communicatae per sacros libros et per traditionem. Quum gravior calamitas patriam urgebat, scriptores surgebant, qui spem erigerent debilium filiarum Israel *(of the weak daugters of Israel)* in memoriam revocantes praeteritae aetatis gloriosam dominationem theocraticam. In publicis tabulariis magnae civitatis et templi,

scriptores inquirebant authenticas narrationes transactorum eventuum, vel authenticas genealogias singularum familiarum ad demonstrandas supernaturales Dei dispositiones circa populum electum. At cognitio supernaturalis regiminis poterat solum ex immediata vel mediata revelatione oriri. Omni tempore igitur qui a Deo dirigebatur ad iudicandum hoc supernaturale regimen exsistere et revelatum esse, et qui dein ex motione Spiritus Sancti hanc revelationem scripto consignare satagebat, hic erat scriptor inspiratus » (1).

Hic vero quaeritur: Numquid Iudaei non habebant inde ab aetate patriarcharum revelationem electionis suae gentis? an potius haec revelatio facta est scriptori tantum, cum in tabulariis inquireret? In priori casu supernaturale iudicium iam perfectum est omnino independenter ab inspiratione ad scribendum. In altero casu tempore quidem simul forent, sed ratione iudicium supernaturale prius praecessisset, et ab inspiratione distinctum esset, quia illa duo revelatio scilicet et inspiratio nunquam idem sunt. Neutro in casu igitur hoc iudicium supernaturale constituit partem essentialem inspirationis, sed aliquid ei praesuppositum. Inspiratio reapse incipit cum supernaturali iudicio practico: hoc vel illud esse scribendum.

Ceterum, quod exigit Mc Nabb, non videtur sufficere ad inspirationem. Quum s. Augustinus suos libros *De civitate Dei* scriberet, habebat revera iudicium gratia efformatum divinae gubernationis, quae in historia patefit; facile etiam admittere possumus eum scripsisse a Spiritu Sancto motum. Nihilominus haec omnia satis non sunt ut eius libros tamquam inspiratos, sensu stricto theologico, habeamus. Ipse scripsit secundum conceptus mentis suae fide illustratae, et per electionem suae liberae voluntatis gratia roboratae. Deus vero non ita operatus est in eo, ut auctor principalis et fideiussor operis Augustini factus sit. Deerat enim intentio Dei, qua librum exarandum iuberet, qui ex eius mandato et auctoritate ecclesiae traderetur tamquam regula fidei; deerat assistentia illa Dei, quae excludit omnem errorem, deerat charisma illud, quo solus Deus suo influxu determinat, quae sint scribenda. Per charisma inspirationis

(1) *The American ecclesiastical Review* (January, 1901) p. 16 s.

intellectus et voluntas hominis cooperantur illa quidem, sed evadunt multo pleniori sensu instrumentum in manu Dei, ac in communi influxu gratiae contingat. Propterea iudicium supernaturale, quod una cum fide revelationis donatur, non sufficit ad inspirationem, et nullo modo ad ipsius intimam essentiam pertinet. Inspiratio eosdem fines agnoscit ac ipsae intellectuales operationes scriptoris sacri, quae ad scribendum ordinantur. Hae vero non incipiunt per iudicium speculativum, quod habere possunt etiam illi qui longe absunt ab intentione scribendi; incipiunt revera per iudicium practicum, quod voluntati scribendi praelucet. Hic igitur et non prius charisma inspirationis agere incipit.

Utique si scriptor nescit veritates, quae tradi debent, necesse est Deus eum aliqua ratione adiuvet, ut earum notitiam acquirat; item si actus supernaturales, qui forte inspirationi praesupponuntur, nondum eliciti sint, debet gratia eos adducere. Potest etiam contingere, specialem influxum requiri, ut ideae sopitae in memoriam revocentur et recte ordinentur. Potest etiam contingere haec omnia in promptu esse ante inspirationem et independenter ab ea.

S. Lucas scribit: «Cum autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et inde Pataram. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phoenicen, ascendentes navigavimus» etc. (1). Debuit ne Deus, cum Lucas haec scriberet, eum per iudicium supernaturale illuminare, quod reapse iter fecerit ex Mileto Coum, et ex Coo Rhodum et ex Rhodo Pataram et ex Patara Phoenicen versus? Ne specietenus quidem id demonstrari posse censeo. Nonne eiusmodi eventus memoriae Lucae clare praesentes et evidentes esse poterant? Sine dubio. Eodem modo ante inspirationem sciebat scopum supernaturalem et rationem itinerum apostolicorum.

Si igitur in eiusmodi narrationibus, quae sine dubio inspiratae sunt, illuminatio charismatica circa veritatem narratorum non aderat, nequit haec illuminatio ad essentiam inspirationis pertinere. Deus suas fecit cogitationes Lucae, quum eum illu-

(1) Act. 21, 1 ss.

stravit et movit ad scribendum, eique astitit, ut haec omnia et sola sine errore scriberet, quae iuxta intentionem Dei ad ecclesiae doctrinam scribenda erant.

Observandum est quaestionem: quid est inspiratio? esse quaestionem definitionis conceptus. Porro in definitione conceptus illae omnes et solae notae sunt agnoscendae, quae ad limites accurate designandos conceptus pertinent. Quod excedit minimum illud essentiam constituens, iam redundat, quum propterea posset definitio non amplius convenire omni definito. Si extat igitur etiam unicus textus inspiratus, in quo nulla est ratio admittendi iudicium supernaturale speculativum, nulla est ratio cur iudicium eiusmodi ad notionem inspirationis spectet. Alia est omnino quaestio, quomodo in singulis casibus inspiratio locum habuerit, ex. gr. in compositione alicuius psalmi inspirati, aut in libro Proverbiorum, aut in libris Machabaeorum. Huic quaestioni saepe nulla solutio suppetit, quia non agitur de conceptu, sed de facto aliquo, quod quomodo acciderit, nobis accuratius traditum non est. Sacra excitatio oestri poetici alicuius psalmistae potuit esse indita a Spiritu Sancto una cum inspiratione; sed item contingere potuit scriptorem inspiratum psalmum ab alio compositum, sine excitatione et oestro scripto consignasse. Proverbia potuerunt iamdiu ore vulgi iudaici celebrari antequam ex divina inspiratione in unum librum colligerentur. Auctor secundi libri Machabaeorum non loquitur de sacro oestro sed de graviori opera et labore.

Ne obliviscamur igitur, in nostra quaestione tantum agi de inspiratione ad scribendum. Quid igitur alias contigerit, vel contingere potuerit in inspiratione oratoria, poetica vel alius rationis, est extra statum quaestionis. Cum enim sint libri sacri in quibus nihil eiusmodi occurrit, nequit id pertinere ad essentiam inspirationis sacrae Scripturae.

Franzelin in tractatu *De Divinis Scripturis* (thes. 2 et 3) ponit uti fundamentum notionis, quam tradit, sacrae inspirationis eiusmodi thesim, inspirationem esse divinum influxum per quem vere Deus sit auctor sacrorum librorum; et proinde id quod necessarium est, ut aliquis iure auctor alicuius libri dici possit, necessarium esse ad inspirationem.

Contra hunc modum investigationis nuper a diversis obiicitur. Ita a Zanecchia, Lagrange, Poels, etc. Mirum est quod habet etiam F. Prat S. I.: « Il ne faut pas renverser les choses, et expliquer, par exemple, le concept de l'inspiration par la notion d'auteur » (1).

Cur igitur non licet conceptum inspirationis declarare per notionem auctoris? Dicitur, quia logice et ontologice prius est Deum inspirare quam auctorem principalem esse sacrorum librorum. Sed hoc argumentum nihil valet. Omnis causa est logice et saepe etiam ontologice prior suo effectu. An ex hoc argumentum ex effectu ad causam vim amittit? Inspiratio est supernaturale Dei opus, ideo pro nobis aliquid obscurum; agitur proinde de eius indole, quoad fieri potest, declaranda. Quid veniat nomine auctoris alicuius libri scimus. Deum vero esse auctorem librorum sacrorum ecclesia definivit. Possumus igitur ex hoc conceptu, tamquam ex aliqua quantitate cognita et certa exordiri, ad alium aeque certum, sed obscurum conceptum declarandum. Praeterea in casu nostro requiritur non quaecumque inspiratio, sed ea per quam Deus est vere auctor sacrorum librorum. Notio igitur auctoris debet et ipsa necessario esse principium nostrae investigationis.

Si thomistae firmiter inhaerentes suae physicae praedeterminationi, quae ipsis est luce meridiana clarior, inde exordium orationis ducunt, ubi inspirationem declarare volunt, sibi omnino cohaerent. Alii vero, quibus physica praedeterminatio actuum liberae voluntatis est obscura nox, nequeunt hic lucem invenire ad declarationem notionis inspirationis. Potest ulterius concedi hanc propositionem: Deus sacros libros inspiravit, esse *antecedens*, et propositionem aliam: Deus est auctor principalis librorum sacrorum esse *consequens* (etsi quoad eiusmodi terminologiam disputare liceret). Sed ex hoc nullo modo sequitur, quod Prat post Lagrange putat: non posse ex *consequenti* deveniri ad declarationem *antecedentis*.

Iure ac merito notat Van Kasteren utramque assertionem independenter unam ab altera probari ex fontibus revelationis, et animadvertit: « Dato etiam relationem (inter duas propositiones)

(1) *Études religieuses* (*Revue*, Paris) LXXXVI (1901), 408.

eam esse quam Poels (cum Lagrange et Prat) statuit, quid prohibet ex *consequenti* ascendere ad declarationem *antecedentis?* Nonne cognoscitur arbor ex fructibus? Si modo consequens secundum unam vel aliam considerandi rationem est quoad nos clarius quam antecedens, potest primum ad alterius declarationem inservire ». Connexio inter duas illas propositiones constat ex ecclesiae definitionibus. « Qui cum Franzelin exorditur ex firma ecclesiae doctrina, constituit tutius et firmius fundamentum, quam nobis offerre possent philosophicae vel theologicae speculationes, etsi eiusmodi procedant ex S. Thoma Aquinate » (1). Methodus igitur quam Franzelin sequitur est ad minus aeque recta, ac illa quam eius adversarii retinent.

Sicut humanus scriptor verus auctor alicuius operis esse potest, licet aliquo amanuensi ad scribendum utatur, et licet, ea quae scribae iam nota sint, ei rursus non tradat, ita Deus est auctor alicuius libri ad cuius confectionem homine utitur tamquam instrumento intelligente, etiamsi iterum sacro scriptori nove non communicet, quae iam ei nota sunt.

At contra hanc ipsam (ceterum satis antiquam) similitudinem scribae insurgit Chauvin (2), quasi per hanc similitudinem vellem reducere Deum ad conditionem meri fideiussoris potius quam veri auctoris sacrae Scripturae. *Nous n'oserions pas prendre à notre compte ces assertions du docte théologien.* Interea, etsi mihi gratum foret suffragium domini professoris habere, adhuc censeo tamen assertionem priorem mihi retinendam esse. Similitudo enim est similitudo et nihil amplius; quaeritur igitur quodnam sit tertium comparationis. Si humanus scriptor utatur opera scribae, ut auctoris titulum iure sibi vindicet, curare debet ea scribi (et nihil aliud), quae eius mentis conceptus quos aliis communicare vult, vere exprimant (3), non est necesse tamen,

(1) *Studien (Revue*, Utrecht), LXXXVIII (1902), p. 58 ss.

(2) *L'inspiration,* p. 40 ss.

(3) Agitur hic de opere cuius praecipuum pretium in re contenta, non autem in modo propositionis, consistit. Si de poesi ageretur eius pretium, ex pulchro et convenienti dicendi modo potest exsurgere, quem qui invenit auctor est. In opere vero scientifico forma expositionis, certis sub circumstantiis, si abstrahatur a claritate, parum attenditur. Ita ut auctor censeatur, qui rem contentam sufficienti claritate expresserit.

eum per se scribae tradere notitias omnes, quae ad hunc scopum necessariae vel utiles sint. *Eodem modo* (sublineo hoc vocabulum, quia Chauvin id facit putans in eo aperte errorem deprehendi), *eodem modo* igitur potest Deus esse auctor libri, licet scriptor sacer aliunde quam ex divina revelatione sciat ea quae scribenda sunt. Proinde tertium comparationis est absentia necessitatis novae revelationis, quoad ea quae iam sciuntur. Hoc solum tradidi in loco quem Chauvin impugnat (1). Hic vero addere liceat, illustrationem theoreticam, quam Chauvin exigit, uti notatum est, necessariam minime esse. Si vero Chauvin putat similitudinem statui, in eo quod Deus sacro scriptori exterius se habeat, sicut homo homini, vel in eo quod solum tamquam fideiussor rei contentae Deus interveniat, profecto vel cursim legit vel similitudinis punctum non percepit.

Influxus Dei per inspirationem est internus, qui versatur immediate circa intellectum et voluntatem scriptoris sacri. Eius propriam essentiam non cognoscimus, quum agatur de re quae in ipsa anima supernaturaliter perficitur. Omnes, licet pulcherrimae, theoriae psycologicae in hoc negotio non sunt nisi theoriae nec quidquam aliud. Solum ex effectibus inspirationis eius indolem arguere possumus. Effectus vero sunt libri sacri prouti Deum habent auctorem. Hoc ecclesia definivit. Ad hoc autem, ut Deus sit auctor sacrorum librorum, nec requiritur Deum scriptoribus sacris revelasse, quae in iis continentur, neque etiam novas illustrationes speculativas eorum cognitionibus superadditas ipsis impertisse, sed solummodo exigitur eum scriptoribus tribuisse, ut loquitur Franzelin, *charisma illustrationis intellectus et motionis voluntatis in ordine ad scribendum.*

VIII. **Sola inspiratio rerum an etiam verborum?**

Omnia quae in Scriptura sacra continentur sunt divinitus inspirata. Sed an etiam singula verba et vocabula, constructio grammaticalis, forma propositionis, stilus?

Olim opinio invalucrat, apud protestantes praesertim, Deum scriptoribus sacris singula verba quodammodo dictasse, ita ut

(1) *Praelectiones doymaticae,* I, n. 616.

ipsi prorsus se haberent ad modum machinae viventis ad scribendum compositae. Eiusmodi opinio hodie penitus obsoleta censeri potest. « Si l'inspiration verbale s'entend ainsi », dicit Lagrange « il n'y faut pas revenir » (1).

« Soyons juste pour la théorie de l'inspiration réduite aux pensées, elle a fait disparaître ces absurdités dont se plaignait Agobard. A ce titre elle a joué son rôle, et un rôle utile dans l'histoire de l'école; mais il est temps qu'elle cède la place à l'opinion traditionnelle bien comprise et bien expliquée » (2).

Quaenam est haec « opinion traditionnelle bien comprise et bien expliquée », pro qua plures docti recentiores dimicant? (3). *Haec est opinio qua statuitur retinendam quidem esse verbalem inspirationem, sed eam esse exponendam secundum theoriam thomisticam influxus Dei in operationes creaturae.* Minus recte sentire qui fingat Deum ad modum ludimagistri, dictantis singula verba hagiographo, et dein ei mandantis dictata scripto excipere, et simul diligenter prospicientis, ut discipulus mandatum recte exsequatur. Deum enim non adstare proprie hagiographo, sed in ipso esse, influere illi virtutem scribendi et ad actum scribendi concurrere, ita ut nihil in Scriptura habeatur sive rerum contentarum, sive formae dicendi, quod ad esse adductum sit independenter ab influxu Dei. *Verum enimvero haec nihil demonstrant contra theoriam eorum theologorum catholicorum, qui impugnantur;* quia nulli eorum in mentem venit negare scriptores sacros, ne verbum quidem aut literam aut apicem scribere potuisse sine concursu Dei. Sed non omnis concursus Dei ad scribendum est inspiratio. Secus omnia scripta essent inspirata. Concursus eritne forte inspiratio, si sit supernaturalis? Ne sic quidem; nam si iustificatus scribat, eius actus scribendi potest imo debet esse supernaturalis, sicuti omnis alius eius actus liber, et propterea est terminus influxus supernaturalis Dei. Nihilominus nemo asseret omnia, quae hoc modo scripta sunt, esse inspirata, eo sensu quo iuxta ecclesiae doctrinam sacra

(1) *Revue biblique,* V (1896), 200.

(2) Ibid., IV, (1895), 564.

(3) Cfr. Ibid., IV (1895), 423 ss.; 563 ss.; V (1896), 199 ss., 485 ss., 496 ss.; VI (1897), 75; ss. *The American ecclesiastical Review* (Jan. 1901), p. 3, ss. Zanecchia, *Divina Inspiratio* (Romae 1896), p. 166, sqq., etc.

Scriptura dicitur inspirata, etiamsi concursum Dei naturalem vel supernaturalem accipiamus ad modum physicae praedeterminationis ad mentem thomistarum. Eo in casu ex dictis hoc tantum sequitur: Sacer scriptor est ad usum istarum propositionum, vocum, litterarum et apicum physice praedeterminatus, sicut omnis alius qui aliquid scribit. Concedendum esset igitur, secundum principium concursus divini in omni operatione causae creatae, etiam dicendi formam propriam sacrae Scripturae Deo auctori esse tribuendam. Est ne tamen hic concursus inspiratio vel intrinseca pars inspirationis? Hoc nullo modo deducitur ex communi illo principio, nam theologi qui negant verbalem inspirationem, admittunt influxum Dei in omnem sacram Scripturam quoad res contentas et eius expositionem, sed non admittunt influxum Dei in ipsa verba esse pressiori sensu inspirationem. Demonstrandum esset igitur eadem ratione divino influxui tribuendum esse delectum verborum, qua delectum rerum, quae per verba significantur, seu Deum proprie esse auctorem stili, sicut est auctor principalis et fideiussor doctrinae scripto consignatae.

Deus intendit res sacra Scriptura contentas, et ideo scriptorem sacrum movet, ita ut haec et nihil aliud scribantur. An intendit parili modo singula verba et vocabula? Vultne praecise eligi hoc et non aliud verbum, hunc clarum vel obscurum dicendi modum, hanc rectam vel minus rectam verborum constructionem, hunc stilum pulchrum vel minus pulchrum! Haec est quaestio, et quaestio eiusmodi non solvitur per doctrinam concursus Dei cum omni operatione scriptoris sacri, immo nec tangitur quidem. Propterea ruit universa moles, quae super hoc principium a priori construebatur, tamquam domus super arenam aedificata. Patroni novae huius rationis inspirationis verbalis obnixe et instanter premunt inspirationem interius complecti hominem eiusque potentias elevare, et propterea potentias non operari solum sua naturali virtute, sed per supernaturalem perfectionem. Addunt lumen inspirationis invadere integrum opus scriptoris sacri ab initio ad finem, et nullo modo Deum cogitationes tantum vel res significatas suppeditare, et dicendi formam scriptori permittere hac sola cautione, ut provideat ne ulla expressio mendosa subrepat. Eiusmodi mechanicam operis partitionem penitus repugnare: « Même si la pensée pouvait être

présentée à l'écrivain sacré toute prête à écrire; on ne comprendrait pas que cette pensée suggérée par Dieu fût habillée de mots quelconques qui ne fussent pas son expression propre, et par conséquent une émanation de la pensée divine. Mais ce divorce impossible à concevoir entre la pensée et l'expression est encore plus inimaginable dans le système que nous croyons être celui de saint Thomas. L'écrivain sacré a été élevé au-dessus de ses forces naturelles par une action divine qui éclaire son intelligence; sous cette influence il a mieux compris la vérité, il s'est décidé à l'écrire, et tout cela ne ferait rien pour le choix des mots! Ce que l'on conçoit bien s'énonce clairement; par conséquent celui qui est cause qu'on conçoit bien, est cause positive qu'on s'énonce comme il convient. L'inspiration est donnée pour écrire un livre, il est donc juste qu'elle s'étende au livre tout entier » (1).

Belle dicta, sed *magni passus extra viam.* Catholici adversarii verbalis inspirationis (etiam Franzelin, in quem praesertim locus ille dirigitur) nullo modo tenent Deum auctori sacro totum librum inspirasse perfectum quidem, res contentas quod attinet, et dein illum in potestatem scriptoris permisisse, ut pro eo rectam expositionis formam inveniret (2). Nullibi in toto tractatu cardinalis Franzelin quidquam exstat, quod huic assertioni minimum faveat, immo potius saepius statuitur neque apprehensiones neque indicia necessario a Deo infundenda esse, sed solam illustrationem et motionem *ad scribendum.*

Adduco ipsa verba Franzelin, ut quisque per se iudicet, an sermo sit de cogitationibus, quas scriptori sacro iam ad scribendum paratas Deus infundat. « Non requiritur, ut veritates ipsae, quas Deus Scripturis consignari vult, homini inspirato aliunde iam cognitae non fuerint vel esse potuerint. Praecedens enim cognitio hominis non potest esse ratio, cur Deus illas veritates suo consilio comprehendere nequeat per Scripturam tradendas ecclesiae, et cur supernaturali sua operatione efficere nequeat, ut homo veritates ipsas aliunde sibi cognitas mente et voluntate

(1) *Revue biblique,* V, (1896), 214 ss.

(2) Dieu composant son livre pour le déposer tout fait, au moins quant aux pensées, dans l'esprit de l'auteur inspiré (ibid., p. 206).

concipiat *ad eas scripto consignandas* (signata ab ipso Franzelin). Eadem ratione non excluduntur industria, studium et praesidia, puta documentorum et testium ab homine adhibita ad res et sententias seu ad veritates concipiendas, dummodo supernaturalis operatio et directio Dei efficiat, ut mens hominis inquirentis sensa ea omnia et sola ad scribendum concipiat, pariterque ad eadem omnia et sola scribenda voluntas supernaturaliter moveatur, quae Deus ut scribantur, consilio suo comprehendit. Si nomine *revelationis* intelligatur manifestatio rei occultae, patet ex dictis, in inspiratione revelationem non esse elementum essentiale; potest enim esse inspiratio verissima sive ad loquendum sive ad scribendum citra revelationem illo stricto sensu acceptam » (1).

Itaque qui demonstrat contra Franzelin Deum per inspirationem non infundere librum iam absolutum in mentem scriptoris, ut illum scripto consignet, videtur similis, ut alii theologi notarunt, ei qui vi apertas fores patefacere velit.

Nec maioris momenti est illa animadversio, vires et potentias per charisma inspirationis elevatas in actu esse per totum scribendi opus, ideoque inspirationem extendi oportere ad verba, cum intelligi non possit scriptura sine verbis.

Quis hoc negavit? Franzelin nequaquam. Contra expresse animadvertit inspirationem ad expressionem eatenus extendi debere, quatenus liber scriptus *infallibiliter vi ipsius operationis divinae* vere et sincere contineat sensa Dei (2).

Propterea ex his nulla demonstratio habetur pro inspiratione verbali, eo sensu quo a Franzelin una cum aliis reiicitur, etenim quaestio non est, num inspiratio etiam aliquo modo ad verba extendatur, sed potius num ad verba extendatur eodem prorsus modo, quo ad rem contentam, ita ut Deus velit haec praecise verba et non alia adhiberi, sicut vult hanc praecise rem in libro contineri et non aliam. Si hoc non contingat, tunc, sicuti Franzelin loquitur, sunt res per se intentae, verba non per se intenta, dummodo apta sint ad sensum ab auctore intentum exprimendum. Hoc sensu negatur verbalis inspiratio.

(1) *De div. Traditione et Scriptura* (ed. 3) p. 347 sq.
(2) Ibid., (ed. 3), p. 350.

Habemus ex. gr. quatuor narrationes circa dominicam coenam. Quoad rem conveniunt inter se, nullomodo tamen quoad verba. Num autem Deus aequali modo intendit et effecit, scriptores sacros diversis verbis usos fuisse, quo intendit et effecit ut eamdem rem referrent? Voluitne Deus positive efficere verba Redemptoris quatuor diversis modis redigi, ita ut scire non possemus, quae verba proprie Redemptor noster protulerit? Si non, iure reiicitur verbalis inspiratio, eo sensu saltem quo a Franzelin cum aliis excluditur. Consequenter concipere possumus influxum Dei circa verba esse negativum, quatenus praecavet locutiones minus convenientes, per oppositionem ad intentionem et effectionem positivam circa res contentas. Tunc etiam rectissime sermo est de *illustratione quoad intellectum*, *de motione quoad voluntatem* et *de assistentia divina quoad verba.*

Lagrange scribit: « Sans doute entre la pensée et le terme il y a une différence intrinsèque; l'inspiration ne les atteindra donc pas de la même manière. Le jugement doit être vrai, le terme doit être propre; sous la lumière divine le jugement sera donc vrai, les termes et autres accessoires convenablement choisis. Si c'est ce que certains modernes veulent dire en distinguant l'inspiration pour les pensées, l'assistance pour les mots, nous sommes d'accord pour le fond des choses » (1).

Ni fallor, isti *certains modernes* suam mentem satis clare exposuerunt; unde si Zanecchia nihilominus quadraginta folia sui voluminis consecrat ad refutandam illam opinionem et ad defendendam inspirationem verbalem (2), quid est hoc, nisi excitare fluctus in simpulo?

His vero addas, inter patronos novi huius modi inspirationis verbalis quosdam recenseri, qui amplas concessiones arti criticae faciunt, ita ut ex. gr., si eos audias, in Scripturis simpliciter inserta haberentur legendae populares veterum et contradictoria documenta. Potestne autem cum aliqua rectitudinis specie reapse verbalis inspiratio conclamari, dum res contentae et verba iam perfecta praciacebant? Rigida theoria, quae parum cum praxi cohaeret! Denique instituitur illa demonstratio: Deus illuminat

(1) *Revue biblique*, V (1896), 215.
(2) *Divina inspiratio*, p. 166-206.

intellectum auctoris sacri: quod autem quis clare cogitat, clare etiam exprimit et paulo post conceditur in Scripturis sacris multas esse expressiones obscuras, immo valde obscuras.

Praecise modum expositionis non raro obscurum et stili diversitatem inter sacros scriptores obiiciunt adversarii inspirationis verbalis. Quid respondetur huic obiectioni?

Difficultas, aiunt, dirigitur solummodo contra falsam illam expositionem inspirationis verbalis, juxta quam Deus dictasset hagiographis singula verba. Contra cum thomistica notione inspirationis verbalis *mirifice* (ait Zanecchia, p. 195) cohaerent stili imperfectiones et defectus; nam Spiritus Sanctus assumit scriptores sacros, prouti sunt, cum suis naturalibus imperfectionibus, elevat autem supernaturali modo eorum facultates ita dispositas, et eas determinat ad scribendum. Quid mirum igitur, si in expositione appareant infirmitas, labor, imperitia scriptoris? Defectus sunt in hoc casu non quidem Deo sed vitio causae instrumentalis tribuendi.

Porro haec responsio nullo modo satisfacit adversariis, quia, ad rem quod attinet, quod exigitur revera conceditur, et solum alicuius incertae theoriae gratia placet retinere locutionem illam « inspirationem verbalem », et ei tribuitur sensus vix intelligibilis.

Ita disserebat Knabenbauer relate ad expositionem a Chauvin propositam: « Auctor cum pluribus recentioribus constanter tuetur verbalem inspirationem.... Hic vero animadversione dignus est modus, quo ipse nobis verbalem inspirationem repraesentet, ubi solvit difficultates, quae huc usque contra illam opinionem propositae sunt: « Dieu ne les (i. e. les termes dont il devait user) lui suggéra non plus, car l'écrivain connaissait bien la langue hébraïque ou grecque qu'il employait. Nous prétendons seulement que le travail psychologique de la formation et du choix des mots se fit sous l'influence de la lumière inspiratrice ». Et p. 192 laudat auctor tamquam omnino accuratum dictum P. Lagrange, qui similiter defendit inspirationem verbalem: « S'il emploie certaines pensées, certaines expressions, c'est que pensées et expressions lui plaisent, et ce qu'il lui paraît opportun d'écrire sous la lumière divine n'est pas moins spontané, que ce qu'il aurait choisi de lui-même sans ce secours spécial ». Iam

quaero, quaenam est distinctio, quae hoc nomen mereatur, inter inspirationem verbalem ita declaratam et theoriam Cardinalis Franzelin ac aliorum, quae impugnatur ab eiusmodi patronis inspirationis verbalis, et quasi contraria traditioni catholicae denunciatur? » (1)

Discrimen quod adducitur, secundum theoriam thomisticam Deum concursum suum praebuisse ad eligenda verba et scripto consignanda, revera nullum est, siquidem neque Franzelin, neque alii umquam catholicorum adversariorum inspirationis verbalis, in mentem venit negare eiusmodi concursum, etsi, ut patet, multi negaverint eiusmodi concursum esse explicandum per physicam praedeterminationem. Haec est alia res, quae consultius omittitur ubi de asserenda inspiratione agitur, siquidem perturbationi potius serviret quam elucidationi. ARGUMENTO A PRIORI VELLE HANC QUAESTIONEM DEFINIRE IMPOSSIBILE EST; siquidem admitti debet absolute loquendo potuisse Deum, si vellet, solummodo res contentas inspirare, ad elocutionem quod attinet, naturali cooperationi et pervigili suae assistentiae (ubi opus esset) acquiescere. Quaestionem igitur dirimere oportet a posteriori ex Scriptura et traditione; praecipue, si quis velit defendere inspirationem verbalem « uti traditionalem »; nam quid sit « traditionale » non potest decidi a priori.

Reapse conati sunt nonnulli hanc demonstrationem instituere. Potuit vero menti occurrere encyclica Providentissimus Deus, eiusque auctoritas invocari pro inspiratione verbali. An autem ex sententia successit? Minime, censet Knabenbauer (2): « Auctor (Chauvin) conatur etiam encyclicam invocare pro hac thesi (inspirationis verbalis). Sed, verba illa: *ita scribentibus* ADSTITIT, *ut ea omnia et recte conciperent et* APTE EXPRIMERENT, locutio essent valde inepta supposita inspiratione verbali; nam hac admissa quid opus erat speciali assistentia, ut apte exprimerent? An forte locutio illa *apte exprimerent* indicat litteras apte calamo efformare?

Zanecchia ob id ipsum improbat hanc meam definitionem inspirationis: « Inspiratio consistit in supernaturali influxu, quo

(1) *Stimmen aus Maria-Laach,* LIII (1897), 76 s.
(2) Ubi supra.

Deus movet intellectum et voluntatem hominis ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult, et in supernaturali adiutorio, quo hominem iuvat ad res apte scribendas » (1). Ait enim, si per verba « motio divina » intelligit influxum physicum (et revera intelligo etiam eiusmodi), « inutile tunc esset supernaturale illud adiutorium a Pesch assertum in secunda parte suae definitionis, quo Deus *hominem jurat ad res apte scribendas.* Ad quid enim divinum hoc adiutorium, si Deus physico influxu hagiographo impresso principaliter scribat, quidquid hagiographus litteris mandat? » (2)

Iamvero encyclica distinguit expresse a *motione ad scribendum assistentiam*, quae eo valeat, ut hagiographi quae scribenda essent, *apte infallibili veritate exprimerent.* Invenio igitur non ignobiles socios in hac distinctione statuenda, dum Zanecchia sua obiectione indirecte concedit verba encyclicae suae theoriae non aptari.

Ratio cur praeter illustrationem intellectus et motionem voluntatis exigo assistentiam seu vigilantiam scribenti praestari, ea est, quia illustratio et motio non determinant *ad unum* scriptorem sacrum in electione verborum, sed liberum relinquunt. Recolo exemplum iam allatum narrationis coenae dominicae. Si crederem physicam praedeterminationem et inspirationem verbalem, cum Zanecchia convenirem. Cum non ita sit, mihi necesse est assistentiam retinere.

Zanecchia dein improbat alia quaedam in illa definitione. Postquam immediate ante varia reprehenderat in definitione Franzelin, haec addit: In definitione Christiani Pesch habentur inconvenientia notata in definitione Franzelin, ultroque manifesta. Videamus.

Primum inconveniens penes Franzelin est prolixitas. Definitio Franzelin habet 56 verba, mea vero 35; en supputationis specimen. Alterum inconveniens est non agnosci inspirationem verbalem. Hic vero animadvertendum est immerito asseri, iuxta Franzelin verba, constructionem et stilum non esse a Deo sed a solo hagiographo, quum Franzelin expresse contrarium doceat,

(1) Pesch, *Praelect. dogm.*, I, n. 615.
(2) Zanecchia, *Inspiratio*, p. 102.

licet non admittat nec inspirationem verbalem, nec physicam praedeterminationem.

Tertium inconveniens est Franzelin dicere scriptorem scribere *sub actione Dei*. Nonne verum est ex duabus causis subordinatis unam agere sub influxu alterius? — *Inconvenientia ultro manifesta*, quorum culpam ego sustineo, haec sunt, me dixisse: « Deus movet intellectum et voluntatem hominis ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult ». Haec vero falso dici, animadvertit Zanecchia, quum Deus non solum voluerit, « ut suo nomine ea *scriberentur* et *traderentur* ecclesiae, sed ipse per virtutem actionemque physicam actualiter hagiographo impressam ea principaliter *scriberet* et *traderet* ecclesiae ». Revera? Ego semper hucusque putaveram primum evangelium sub influxu divino a Matthaeo fuisse conscriptum et ecclesiae traditum. Reapse nullam aliam rationem sciebam, qua Deus esset auctor principalis huius evangelii, nisi qua supernaturaliter effecit illud a Matthaeo scribi et ecclesiae tradi. Num forte Zanecchia aliam rationem novit? Non puto.

Ex mea sententia « inspiratio est supernaturalis influxus, quo Deus movet intellectum et voluntatem hominis ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult ». Iuxta Zanecchia est « influxus divinus physicus et supernaturalis elevans et movens facultates hominis, ut scripto consignentur ecclesiae, propter bonum et utilitatem eius, ea, quae Deus vult et modo, quo vult ». Iam ubi, quaeso, est essentiale discrimen inter has duas definitiones. Secundum definitionem meam inspiratio est *influxus supernaturalis*, secundum definitionem Zanecchia est idem; ipse addit *physicus et elevans*, ultimum verbum redundat, quia omnis influxus supernaturalis est *elevans;* prius est minus accuratum, quia influxus non est solum physicus sed etiam moralis, sicut omnis influxus qui per intellectum voluntatem attingit. Zanecchia de isto influxu dicit: « movens facultates hominis », ego vero: « quo Deus movet intellectum et voluntatem hominis », quod est fere idem. Zanecchia prosequitur: « ut scripto consignentur ecclesiae, propter bonum et utilitatem eius, ea quae Deus vult et modo quo vult ». Ego vero dico: « ad ea scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult ». Ego omitto verba: « propter bonum et utilitatem eius », quia hoc ex se in-

telligitur, et superfluum videtur id expresse monere. Rursus non video quaenam sit differentia, si dicatur: « movet, ut scripto consignentur ea quae Deus vult et eo modo quo vult », vel potius: « movet ad scribenda, quae Deus suo nomine scribi vult ». Censet utique Zanecchia me docere influxum divinum esse tantum moralem, et ad summum solum eatenus physicum quatenus Deus ab initio impulsum det, sinens deinceps scriptorem suo marte operari. Hoc omnino reiicio. Siquidem id Zanecchia simpliciter sibi fingit, quod ego tamen nec docui nec ullis verbis innui.

Ulteriores obiectiones Zanecchia omitto. Eius opus est conatus accommodationis psychologiae thomisticae ad internum inspirationis actum. Ad intelligendam sacram Scripturam tamquam librum inspiratum fere nulla ratione haec prosunt, praesertim ubi theoriae factis non conveniunt.

Iam hinc aestimari potest, quomodo instituatur demonstratio illius asserti: doctrinam istam inspirationis verbalis esse *traditionalem*. Zanecchia allegat auctoritates Hieronymi, Augustini, Athanasii, Hilarii, Origenis, Basilii et Chrysostomi, nullis ut plurimum verbis ipsorum Patrum allatis. Dein sibi obiicit haec testimonia non spectare textum originalem sacrae Scripturae sed versiones. Sequitur vero responsio: « apostolos suo usu versionem LXX interpretum confirmasse ». « Quapropter erat versio *fidelis*, sicut vetus Itala ex ea translata in primo Ecclesiae saeculo. Dum autem scriptum aliquod in alio idiomate *fideliter* vertitur, expressiones idearum vel conceptuum eaedem manent, sub diversis formis expressivis, et graphicis signis. Unde versiones non sunt quidem executae divina supernaturali virtute, sicut exarata fuerunt manuscripta hagiographorum, sed peractae sunt humana eruditione ac efficacia; dum tamen ipsae fideliter correspondent originalibus sacrorum scriptorum, eadem expressio veritatis habetur in eis ac in autographis hagiographorum. Allatae sententiae Patrum respiciunt sacram Scripturam non prout in hac vel illa versione traditur, sub his vel illis formis expressivis, diversique graphicis signis, sed prout in fidelibus versionibus habetur eadem expressio veritatis ac in autographis Bibliorum: et Patres talem expressionem studiose expendebant, atque ex ea pulchros eliciebant conceptus mysteriaque pande-

bant » (1). Rursus plura verba sed heu parum ad rem. Si Patres loquentes de verbis non inspiratis pulchros conceptus evolvunt, debentne propterea verba originalia esse inspirata, secundum eorum doctrinam?

Conferatur quoad hoc, id quod nonnullis paginis ante disseritur de illo s. Hieronymi dicto, in Scripturis sensum inquirendum esse non verba. « Ad Hieronymum quod attinet, sententia limitans inspirationem divinam in hagiographis ad solas res et conceptus Ecclesiae transmittendos, valde immerito ei attribuitur. Etenim in praedicta epistola ad Pammachium vult ostendere, quod in translationibus faciendis potissimum attendendum est non ad verba, sed ad mentem ac sensa scriptoris.... Non erat igitur controversia de extensione inspirationis divinae in autographis hagiographorum, sed de dissonantia versionum: et recte s. Doctor statuit quod in quacumque translatione non verba scriptoris, quae plerumque transferri non possunt sine detrimento conceptuum, attendenda sunt, sed mens ac sensa eius, sicut LXX fecerunt interpretes, nonnulli Patres ac ipsemet Hieronymus. Patet autem quod hoc abstrahit omnino ab origine verborum in autographis Scripturae, an scilicet origo sit divina vel solummodo humana ». (2).

Ergo ubi Patres dicunt in Scripturis inquirendum esse sensum non verba, loquuntur de versionibus, non autem de ipso textu originali inspirato. Ubi vero significationem singulorum verborum laudant in versionibus Bibliorum, quas prae manibus habebant, tunc docent inspirationem verbalem, quia versiones sunt fideles. De hoc genere argumentationis suum cuique legenti iudicium formare in expedito erit.

Vix meliorem exitum habet conatus positivae demonstrationis apud Chauvin. Ipse in suo citato opere *De inspiratione* a pagina 172 ad 189 congerit seriem testimoniorum Scripturae et sanctorum Patrum, quibus devenit ad hanc persuasionem (p. 185): « Aussi la tradition ecclésiastique, echo fidèle de celle des Pères, n'a-t-elle cessé, pendant de longs siècles, d'être favorable à la même (inspirationis verbalis) doctrine ».

(1) Zanecchia, l. c., p. 172 ss.
(2) Ibid., pag. 167 ss.

Dr. J. Hejcl in dissertatione quadam « circa inspirationem verbalem sacrae Scripturae », quae publici iuris facta est in *Der Katholik* 1900, I, 115 seqq. gradatim sequitur demonstrationem Chauvin, et devenit ad contrariam conclusionem: « 1. Deus, relinquens hagiographos plene liberos in electione verborum, eis quoad hoc solam negativam assistentiam impertiit, ita ut verba quibus uterentur intellecta secundum regulas hermeneuticae nullum alium haberent et exprimerent sensum nisi inspiratum. 2. Solum tamquam exceptionem huius regulae concedimus influxum aliquem Dei maiorem vel minorem in ipsa verba secundum valorem argumenti vel ob specialem Dei intentionem, ubi nobis tamen sufficienter demonstretur, hoc vel illo loco solam negativam assistentiam satis esse non potuisse » (p. 126).

Animadvertit Hejcl se procedere in sua demonstratione ordine inverso ac Chauvin. Hunc inquirere ex legibus philosophico-psychologicis exorsum, primo indolem propriam passivae inspirationis (h. e. supernaturalem processum psychologicum in anima scriptoris sacri), ut inde naturam terminativae inspirationis (h. e. indolem librorum inspiratorum) eruat. Hoc autem idem valere ac methodo nimis abstracta ex legibus psychologicis arguere concretam naturam librorum sacrorum, et ex causa parum nota concludere ad effectum multo magis notum. Talem methodum probari non posse. In hac inquisitione argumentandum esse primum ex auctoritate, dein ex concreta natura et conditione sacri textus indolem passivae inspirationis deducendam esse.

Primum argumentum positivum apud Chauvin (p. 172) ita exponitur: « A coup sûr, le langage de la Bible n'est point défavorable à l'inspiration verbale. Ne s'appelle-t-elle pas elle même " la parole de Dieu ", la " voix de Dieu ", les " oracles de Dieu ", les " oracles vivants de Dieu ", les " saintes lettres de Dieu ", l' " écriture de Dieu? " » (cfr. 1 Cor. 2, 13; Rom. 3, 2; 2 Tim. 3, 15; Act. 7, 38).

Hejcl respondet: imprimis nonnullae ex his locutionibus in locis allegatis non inveniuntur, immo nec alibi in sacris Scripturis, sed a Patribus serius inventae sunt. « Ubi nam, quaeso, invenitur in toto Scripturae textu tum V. tum N. T. locus aliquis in quo libri sacri se dicant " epistolam Dei ", " scripturam Dei? ". Etiam in locis citatis ab auctore nihil eiusmodi habetur.

Quod attinet ad Rom. III, 2, ibi " eloquia Dei " significant integram revelationem divinam V. T. ». Secundo dein vocem illam « verbi » in Scriptura raro significare ipsum signum materiale, communiter significare potius rem signo contentam, conceptum. Locutionem illam « verbum Dei » indicare solum Deum esse auctorem verbi revelati: « quo sensu vero, et qua extensione, et quo gradu sit auctor sacrae Scripturae, ex hac formula erui non posse, si vitare velimus indebitam limitationem verborum et anthropomorphismum » (p. 326 sq.). Si ergo Deus praecipiebat prophetis verba revelata scripto consignare, hoc nullum suppeditat argumentum pro inspiratione verbali.

Apostoli contra verba Scripturae in comparatione cum re contenta tam minoris momenti habent, ut saepe ea allegent satis libere, uti ex. gr. citatio illa Rom. 3, 33 ad verbum nullibi occurrit in Scripturis, sed libere conficitur ex Isaiae 8, 14 et 28, 16 simul collatis. Si contra interdum apostoli argumentum desumunt ex uno verbo, recolendum est singula quaedam verba, etiamsi sola inspiratio realis statuatur, multa continere posse.

Chauvin pro verbali inspiratione recurrit ad alios textus, ut: « Omnis Scriptura divinitus inspirata », vel: « Iota unum aut apex unus non praeteribit a lege ». Talia argumenta profecto possent omitti. Si postremum in favorem inspirationis verbalis urgere quis vellet, deberet consequenter admittere inspirationem characterum et apicum.

Id reapse admiserunt Iudaei post Christi aetatem. Chauvin allegat etiam eorum auctoritatem. Sed an exigit debere nos profiteri theoriam inspirationis Philonis et aliorum Iudaeorum?

Si Deus verba ipsa et stilum inspiravit, cur igitur stilus diversitatem tantam exhibet, ut modo sit elevatus, modo humilis, modo clarus, modo obscurus, modo ornatus, modo inelegans? Cur eamdem historiam, eumdem sermonem diversimode exposuit? Cur in re tanti momenti, uti est ex. gr. coena dominica, in variis narrationibus non retinentur eadem verba? Cur nonnunquam quod olim in uno loco Scripturae clare et definite dictum fuerat, serius iterum obscure et indefinite repetitur? Cur etiam simplicissima documenta ut crucis titulus diversa forma proponuntur?

Eiusmodi obiectiones, quas Hejcl secundum processum aliorum adversariorum inspirationis verbalis proponit, simplicius solvuntur hac responsione: Deus res ipsas inspiravit non autem verbalem expositionem, quam per artificiosam theoriam praemotionis ad electionem ipsorum verborum, quae sese accomodaret perfecte ad indolem et ad animi dispositionem humani scriptoris. *Entia non sunt multiplicanda sine ratione.* Sine tali inspiratione verbali res eadem ratione conficitur; ergo inspiratio verbalis est superflua. Est praesertim animadversione dignum novos patronos inspirationis verbalis afferre fere eadem argumenta ac patroni illius inspirationis verbalis, quam ipsi ut absurdam reiiciunt; eos autem convenire cum adversariis inspirationis verbalis relate ad effectum inspirationis, quum concedant expressionem verbalem eamdem esse ac si hagiographi scripsissent sine supernaturali assistentia. Si hoc ita est, cur tot prolixae disputationes, quae ultimatim ad id perveniunt, formam quidem dicendi sacrae Scripturae declarandam esse revera ex propria ratione uniuscuiusque scriptoris, nihilominus adversarios merito recipere thomisticam psychologiam, eaque nixos naturam inspirationis exponere? Cuique profecto liberum est hanc theoriam admittere et multis declarare, quomodo cum eiusmodi inspiratione verbali componi possint omnes stili defectus ac imperfectiones. Sed revera liberum cuique pariter est asserere: res contentas divinas esse, stilum esse humanum, et ita viam intercipere eiusmodi difficultatibus omnibus.

Chauvin (1) opinatur: « L'inspiration des mots suit l'inspiration des pensées, comme un corollaire reclamé par les lois de la psychologie ».

Hejcl reponit eiusmodi nexum non haberi inter cogitationes et verba, quo semper cum determinato conceptu et serie conceptuum determinata verba vel verborum series immediate connectantur. « Nam si ita res se haberet... cum quis cogitationes et ideas ad aliquam determinatam orationem vel confectionem alicuius libri in mente iam bene apte ordinatas haberet, ei facillimum esset, conceptus suos verbis vestire. Sed, ut experientia docet, aliud est conceptus mente efformare, et aliud

(1) L. c., p. 180 in nota.

eos idoneis verbis exprimere. Ut experientia constat, debet saepe orator vel scriptor apta verba diu inquirere, et multum considerare quanam ratione suos conceptus exprimere debeat, et saepe ei contingit, licet recte iudicaverit de aliqua re, eam nonnisi imperfecte exponere. Idem conceptus potest per diversa synonima, eadem veritas potest diversa omnino ratione exprimi; modo scientifico aut vulgari, per plura aut pauciora verba, per propositionem complexam vel per plures propositiones simplices, forma negativa vel affirmativa, forma interrogativa vel narrativa, stilo simplici vel oratorio aut poetico » (1).

Singula testimonia Patrum, quae adducuntur pro verbali inspiratione vel contra eam, nequeunt hic esse inquisitionis obiectum.

Exempli causa hoc adnotasse sufficiat: dum Chauvin (p. 185) s. Ioannem Chrysostomum fidenter allegat, s. Haidacher in quadam monographia cui titulus: *Doctrina s. Ioannis Chrysostomi de inspiratione Scripturae*, (Saltzburg 1897), magnum ecclesiae doctorem inter defensores inspirationis verbalis non recensere. « Generatim (inquit) retinendum est ex una parte iuxta s. Chrysostomum ideas, quae continentur in Scripturis, licet in uno verbo vel syllaba inveniantur, esse tribuendas Deo (plena inspiratio realis), alia ex parte autem divinum influxum, qui extendatur ad certa quaedam verba Scripturae sacrae, quatenus determinatum sensum continent, nondum involvere conceptum inspirationis verbalis » (2).

Denique hac animadversione claudere liceat. Novi defensores inspirationis verbalis semper loquuntur de sacra Scriptura, prouti ea primitus e manibus suorum auctorum egressa est. Facile autem intelligitur eis non magis contigisse textum primitivum prae manibus habere, quam aliis nostris coaevis. Oportet enim apographis contenti sint, quae saepe, ubi de verbis singulis agitur, vel non conveniunt cum textu originali vel quorum convenientia est dubia, praeterea nonnullorum librorum nonnisi versionem habent. Si igitur inspiratio verbalis ad essentiam Scripturae spectaret, non haberent amplius partem essentialem Scripturae, et ulterius non possent Vulgatam ex. gr. considerare

(1) L. c, pag. 338 sq.
(2) L. c., pag. 33.

tamquam sacram Scripturam, quia verba latina alia sunt a verbis textus originalis. Profecto respondetur, verba originalia non ita spectare ed essentiam inspirationis, ut fidelis versio non sit etiam (licet forte sensu minus pleno) vere sacra Scriptura. Haec responsio autem rursus concedit, quod adversarii imspirationis verbalis contendunt: Inspiratio illa scilicet, qua Scriptura differt ab omni alio opere humano, et vere est liber divinus, residet in re significata non autem in forma sermonis, nam secus nec Vulgatam nec aliam versionem vocare possemus sacram Scripturam, et etiam relate ad textum originalem saepe nesciremus, utrum adhuc Scripturam apud nos haberemus necne. Quorsum autem tempus et laborem terere circa inquisitionem proprietatis alicuius Bibliorum, quae non amplius possidemus, potiusquam immorari Bibliis quae revera possidemus.

Itaque " tabernacula Franzelin " (ut Lagrange loquitur) non minus solidum aedificium se probabunt in posterum quam « doctrina traditionalis » eius adversariorum.

IX. Estne apostolatus criterium inspirationis?

Ecclesiae doctrina nos certiores facit, libros sacrae Scripturae esse inspiratos. Ecclesia vero ex parte sua non potest cognoscere factum inspirationis nisi per revelationem; quia solus Deus scit et dicere potest, utrum cooperatus sit ad confectionem alicuius libri ea supernaturali ratione, quae requiritur ad inspirationem habendam. Sine divina revelatione non cogeremur credere libros sacros esse inspiratos.

Hanc revelationem autem possumus duplici ratione excogitare. Vel ita ut Deus de singulis libris revelaverit eos esse inspiratos; vel ita ut ponamus Deum revelasse universalem aliquam veritatem, ex qua necessario sequatur omnes sacrae Scripturae libros vel aliquam classem eorum ex. gr. N. T., esse inspiratos.

Reapse protestantes plures et catholici theologi etiam nonnulli amplexi sunt hanc opinionem, ex revelationibus de munere apostolico factis iam per se sequi quidquid apostoli scripserint esse Scripturam inspiratam. Quaestio est libera quia auctoritas

ecclesiae nunquam pro alterutra parte sententiam suam pronuntiavit.

Argumenta et obiectiones una simul collegit, et obiectum specialis considerationis sibi constituit Dr. Franciscus Leitner monographia, cui titulus: " prophetica inspiratio " (Freiburg 1896). Designat nomine theopneustiae propheticae " inspirationem ad loquendum " per oppositionem ad inspirationem ad scribendum. Pronum erat has duas inspirationis species simul comparare, immo vix vitari poterat. Postquam statuisset, apostolatum includere inspirationem oralem, ponit hanc quaestionem: Quum apostoli nonnulli etiam scribendo immorati sint, exsurgit ulterior quaestio: innititurne inspiratio eorum quae scripserunt qualitati apostolorum, prouti erant organa inspirata revelationis, an speciali charismati?

Respondet duplicem esse opinionem. Alii dicunt muneri apostolico ut tali. Alii vero speciali charismati.

« Priori opinioni favent haec argumenta: scripta apostolorum suam inspirationem directe non testantur. Multo minus ibidem indicatur apostolos conscios fuisse alicuius theopneustiae ad scribendum distinctae ab ea qua fruebantur in ministerio oralis praedicationis. Specialis gratia ad revelationem scripto communicandam necessaria non apparet, ex eo quod haec gratia natura sua diversa esse non potuit a charismate oralis praedicationis. Praesertim excludere videtur specialem illam gratiam inspirationis ad scribendum Patrum agendi ratio, quatenus apostolica origo alicuius scripti eis sufficiens criterium canonicitatis constituebat. Ubi ageretur de Marco et Luca discipulis apostolorum, manifesta fiebat eorum scriptorum inspiratio per auctoritatem duorum principum apostolorum, quorum praedicationem reddebant. Quod si non omnes apostoli scripserint, circumstantia haec non cogit distinctionem admittere inter munus apostolicum et charisma inspirationis; sed potius limitatio inspirationis ad aetatem apostolicam videtur consequenter importare inspirationem ad scripta exaranda superfluam esse ».

Haec sunt demonstrationis momenta quae pro priore sententia afferuntur. Audiamus modo quid de his auctor censeat. « Ad iudicium ferendum circa illas rationes et in favorem alterius opinionis haec animadverti possunt: Defectus testimonii directi ipsius Scri-

pturae pro existentia charismatis inspirationis ad scribendum nullum positivum argumentum (argumentum e silentio) praebet contra existentiam eiusmodi gratiae. Analogia prophetarum V. T. confirmare videtur hanc sententiam. Scilicet plures prophetae uti principium suorum scriptorum expresse statuunt mandatum divinum. Similis influxus potuit apostolos movere ad scripta exaranda. Eiusmodi inspiratio voluntatis tamen non (exclusive) oportuit per immediatam motionem interiorem voluntatis perfici. Attentio hagiographorum dirigi potuit divino instinctu etiam ad externas circumstantias et eventus. Nihil obstat quominus Paulus motus dicatur ab erroribus Gnosticorum, qui Colossis serpebant, et pariter per Spiritum Sanctum ad suam epistolam scribendam. Veritates etiam naturalis rationis propriae obiectum fuerunt scripti inspirati, prouti hagiographo apparebant sub lumine divinae sapientiae. Voluntas proxime se determinabat ad scribendam, sed primum impulsum ad hanc determinationem a Spiritu Sancto acceperat... An debet eiusmodi impulsus in voluntatem limitari ad eos auctores, qui eum fassi sunt, an ad solos prophetas V. T. et non admitti etiam in apostolis? »

Patres ubi ageretur de inspiratione alicuius libri allegasse eius originem apostolicam, concedendum est. « Tamen nequit indubie demonstrari cum hac agendi ratione coniunctam fuisse theologicam reflexionem, apostolatum ex se solo prae se ferre conditiones necessarias ad scriptum inspiratum exarandum. Etenim supponendum videtur eos insufficientiam istius criterii agnovisse, quum discipuli apostolorum hagiographi fuerint, et Pastor, epistolae Clementis, et acta Pauli (in nonnullis communitatibus) tamquam Scriptura sacra habita sint. Rursus exemplo nonnullorum hagiographorum V. T. dijudicari poterat inspirationis gratiam a Deo non unice impertiri iis quos ad publicum ministerium elegerit » (1). Leitner alteri opinioni aperte favet. Ceterum operae pretium est, singula argumenta accuratius perpendere.

Inter recentiores catholicos scriptores, qui de doctrina inspirationis egerunt (ab an. 1890), solus Schanz (2), quod sciam,

(1) L. c., pag. 60 sqq.

(2) *Apologie des Christentums*, (2ª edit, parte 2ª, Freiburg 1897), pag. 541 sqq.

defendit opinionem illam, apostolatum includere inspirationem ad scribendum. Omnes alii ut Chauvin, Zanecchia, etc. contrarium tenent.

Schanz (1) scribit: « Inspiratio scriptorum apostolicorum, quoad factum et indolem eius propriam, ecclesiae constat ex generali apostolorum inspiratione... Doctrina inspirationis scriptorum N. T. uti praesuppositum habet hoc charisma apostolatus et magisterii. Nam ad differentiam charismatis prophetiae V. T. hoc charisma erat permanens et secundum varia adiuncta et varios casus diversa ratione exercebatur, non solum per novas revelationes, sed etiam per memoriam et introductionem in intelligentiam eorum, quae a Iesu audierant, ut haec aliis praedicarent. Sicuti constat generatim distinguendum inter revelationis inspirationem et inspirationem pressiori sensu acceptam, ita etiam constat utramque in apostolis non posse separari. Erant sub impulsu et directione eiusdem Spiritus Sancti, sive mandatum Domini ore sive scripto implerent ».

Ceterum hoc duplici ratione adhuc exponi potest. Nonnulli theologi opinati sunt penes apostolos non requiri specialem motionem antecedentem ad scribendum, sed solum speciale illud auxilium cooperans Spiritus Sancti, quod cum charismate apostolatus per se coniunctum erat. Apostoli determinabantur proprio marte ad scribendum; sed ad hoc consilium exsequendum cooperabatur Spiritus Sanctus, simili ratione ac in omni opere bono iustorum cooperatur gratia sanctificans elevans supernaturaliter et nobilitans actum.

Sed hoc admitti non potest. Impulsio ad scribendum non ab ipso homine primo procedere debet, sed a Spiritu Sancto, ubi liber inspiratus conficiendus est. Circa hoc doctrinalia ecclesiae documenta nullum relinquunt dubium. « Spiritus Sanctus, ait Leo XIII (2), supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae ». Itaque ne-

(1) Ibid., p. 541 sq.

(2) Sm̃i D. N. Leonis XIII litterae encyclicae, *De studiis Scripturae sacrae*, p. 37.

cessaria est praevia excitatio ad scribendum, sicut ad opera bona iustorum non sufficit gratia sanctificans sed ulterius requiritur gratia excitans. Hoc primo adduci solet contra identitatem apostolatus cum inspirationis charismate.

Deinde considerandum est apostolos vi suae missionis directos fuisse ad praedicandum non autem ad scribendum, ac propterea vi huius missionis nomine Dei eiusque auctoritate praedicare potuisse et proinde omnibus gratiae qualitatibus instructos fuisse ad hoc munus necessariis, eos autem, si absque novo imperio, vel absque nova motione Dei veritates salutis scripto consignarunt, id proprio marte fecisse, non autem ex divino mandato nec nomine Dei. Erant infallibiles etiam quum doctrinam Christi scripto communicarent, quia Deus impediebat in omni casu, ne errores loco doctrinae Christi traderent. Sed scriptura infallibiliter continens doctrinam salutis nondum est Scriptura inspirata, sicut patet ex decretis conciliorum oecumenicorum circa fidem. Propterea non sufficit habituale charisma apostolatus ad librum inspiratum exarandum. Confectioni eiusmodi debet Spiritus Sanctus speciali ratione cooperari. — Haec demonstratio tamen non impetit thesim professoris Schanz. Hic enim scribit: « Utique sola apostolica dignitas auctoris non sufficit, ut eius scriptum sit inspiratum; ad hoc enim requirebatur Spiritus, qui apostolos in omnem veritatem induceret, et eis in mentem revocaret totum id quod eis tradiderat.... Nexus ipsius actus scribendi cum activitate apostolicae vocationis in genere nos ita ducit in cognitionem altioris oeconomiae N. T., ut opus non sit elucubrationem scriptorum considerare seorsim a circumstantiis historicis. Non casu contigit inter duodecim apostolos paucos solummodo epistolas scripsisse, et aliquos unam tantum, vel alteram; neque casui tribuendum duos tantum evangelia scripsisse; sed ratio huius facti non est quod ceteri caruerunt charismate inspirationis, sed potius quod in ambitu apostolicorum laborum, qui eis contigit ex dispositione divinae providentiae, necessitas non incurrit utendi apostolico charismate ad scribendum. Quod si solam missionem praedicandi a Domino acceperunt, tunc opus fuit duplici impulsu externo et interno, ut ab hac norma declinarent » (1).

(1) Schanz, l. c., p. 547, 553.

Schanz igitur non tenet apostolos satis instructos fuisse ad scripturas inspiratas conficiendas per charisma habituale *ut sic*, requirit enim specialem impulsum Spiritus Sancti ad scribendum. Et sub hoc respectu propius accedit sententiae communi quam opinio paulo ante memorata. Utique in quadam recensione monet, me immerito ipsum non adnumerasse meis adversariis in primo volumine mearum *Praelectionum dogmaticarum*, quum agerem quaestionem de doctrina inspirationis. Sed revera ipse non pertinet ad ordinem eorum adversariorum, quos eo in loco proxime et directe refutabam, quia ibi una cum Schanz necessitatem motionis specialis Spiritus Sancti ad scribendum statuere volebam.

Hac sententiarum convenientia praesupposita ulterius quaeritur: potestne a priori ex natura apostolatus deduci, apostolos habuisse motionem specialem illam Spiritus Sancti, quae ad inspirationem exigitur, quoties eorum munus exigeret aliquid scribere? Haec ultima limitatio necessaria est, quia profecto nullo modo admitti potest, apostolos quoties occasio obveniret scribendi vel loquendi circa communia vitae negotia, toties stricto sensu verborum tamquam inspiratos scripsisse vel locutos fuisse. Hoc enim locum habuit, uti recte animadvertit Schanz, « solum ubi exequerentur suam vocationem » (1). Quaestio practice non multum refert, nam omnia scripta apostolica, quae indubie apostolicae sunt originis ex ecclesiae doctrina sunt certo inspirata. Agitur proinde penes catholicos de quaestione, quae solum pertinet ad conceptuum declarationem. Penes protestantes credentes esset profecto apostolatus unicum criterium scientificum ad demonstrandas Scripturas N. T. At de hac re hic non quaerimus.

Schanz propositae quaestioni affirmative respondit. Ei certum est, quoties exercerent munus docendi sibi commissum, apostolos semper fuisse sub influxu inspirationis, sive scriberent, sive loquerentur, et hoc quidem vi apostolici charismatis.

(1) Fatendum est contra hanc opinionem opponi posse, epistolam ad Philemonem esse tantum deprecationem pro servo fugitivo. Debet eiusmodi deprecatio considerari, uti actus ministerii apostolici proprius? Si non debet, nequit hoc in casu apostolatus esse criterium ad inspirationem demonstrandam.

At estne hoc revera ita certum? Erantne apostoli quoties de rebus fidei loquebantur revera semper inspirati secundum proprium sensum huius vocabuli, h. e. agebantur ne speciali illa mentis illustratione et speciali voluntatis motione per quas Spiritus Sanctus efficit, ut id quod dicitur sit revera verbum Dei, non solum ratione rei significatae, sed etiam ratione immediatae originis? Apostoli revelationem acceperant, in eius praedicatione infallibiles erant, suprema auctoritate docendi instructi erant. Haec vero non sufficiunt ad inspirationem. Apostolos oportuit iterum atque iterum eumdem sermonem eamdemque catechesin repetere. Admittere possumus (et ad hoc suadendum positiva argumenta non desunt), eos ad disserendum de rebus fidei secutos fuisse schema aliquod usque ad certum gradum definitum, quasi determinatam dispositionem, immo stilum aliquem sermonis ac formulas constantes, quas ob iugem repetitionem memoria firmiter retinebant. Ideo quotics occasio offerretur, poterant sine speciali inspirationis impulsu fidei veritates praedicare tamquam testes infallibiles et doctores auctoritate praediti. An forte admittere oportet, quoties alicui apostolo quaestio circa fidei vel morum obiectum proponeretur, Spiritum Sanctum in eum immisisse inspirationis influxum stricte dictum, etsi apostolus sine eo plane aptus esset ad respondendum? Id revera nullo modo probari potest. Virtute, quam die Pentecostes acceperant, ita instructi erant ad suum munus exercendum, ut non indigerent singulis vicibus nova inspiratione. Quoties inspiratio necessaria erat, dabatur certe; sed eam semper et quidem semper eodem gradu necessariam fuisse, persuaderi non potest.

Leitner scribit (1): « Pro omni activitate apostolorum non videtur semper exigenda inspiratio eodem gradu et aequali extensione, atque pro elucubratione sacrarum Scripturarum. Nam, quum ex. gr. expositio veritatum salutarium dirigebatur solum ad scopum moralem, ad erigendos et confirmandos animos christianorum, nequit affirmari necessitas specialis influxus theopneustiae. Praeterea cum ea hypothesi conciliari nequit differentia illa inter Petrum et Paulum de qua Gal. III, 11 seqq., et controversia de qua disputatum est in concilio hierosolimitano

(1) *Die prophetische Inspiration*, p. 59.

circa utilem conversationem inter Iudaeos et Ethnico-christianos. Attamen debuit gratia inspirationis extendi ad auctoritativam praedicationem veritatum, quae ad salutem pertinent ».

Non sequitur igitur ex conceptu apostolatus, apostolos semper inspiratos fuisse in orali exercitio suae missionis, et multo minus sequitur eos omnes praeditos fuisse charismate inspirationis ad scribendum; nam quum ex se mandatum scribendi non haberent, et altera ex parte proprio marte scribere possent, quo iure deduci potest ex conceptu apostolatus eos semper instructos fuisse ea motione Spiritus Sancti ad scribendum, quam ecclesia vocat inspirationem? Assistentia Spiritus Sancti, quae errorem praecavebat, semper aderat; sed an etiam positivus influxus inspirationis in intellectum et in voluntatem? Quanam ratione demonstrari potest ex conceptu apostolatus, Spiritum Sanctum permittere non potuisse, ut apostoli scripta exararent, quae veritates revelatas infallibiliter continerent, sed tamen ad confectionem quod attinet soli industriae eorum tribuenda essent?

Schanz inculcat, apostolos tantum provocare ad suum apostolicum munus, non autem ad specialem motionem Spiritus Sancti ad scribendum. Memorant solum se ut apostolos habere Spiritum Sanctum, hoc satis est.

Contra ab aliis recolitur, doctrinam inspirationis Scripturae N. T. adaequate cognosci solum ex traditione. Apostoli allegant suam apostolicam auctoritatem, quia ad suum scopum magis conveniens videbatur, sed nunquam in suis litteris proponunt sua scripta tamquam inspirata (praecisione facta ab Apocalypsi), etsi doctrina de inspiratione scriptorum eorum ex ipsorum testimonio repetenda est. Quum igitur, ad factum quod attinet, inspiratio omnium librorum N. T. nonnisi ex traditione orali constet, potest etiam eadem traditio nos certiores reddere circa criterium inspirationis, etiamsi apostoli in suis scriptis de hac re sileant. Praeterea auctor Apocalypsis significat se mandato Dei scripsisse, non autem vi sui muneris apostolici. Multi apostoli non scripserunt, quia nullum mandatum vel motionem Spiritus Sancti ad scribendum acceperunt. In iis igitur, qui scripserunt, iure supponitur specialis influxus, qui est extra munus apostolicum ut tale. Etiam exterioribus circumstantiis determinatos esse apostolos ad scribendum, certum est, sed ob meram occasionem extrinsecam,

non esset Deus auctor principalis scripturae ita exaratae, sed exigebatur ad hoc specialis interior cooperatio, et haec cooperatio divina debuit ecclesiae revelari.

Schanz ulterius scribit (1): « Nonne scriptores sacri sua scripta ut talia h. e. ut inspirata ecclesiae tradiderunt? Certe, quin tamen specialis charismatis mentionem facerent. Eorum charisma apostolicum satis erat, erat charisma praedicationis et inspirationis ».

His verbis igitur hoc significatur: Cum apostoli non nominent in suis scriptis specialem gratiam inspirationis, proinde neque in traditione orali de ea locuti sunt. Adversarii autem respondent: Hoc non sequitur. Potius sic arguere debemus: Quum ecclesia ex revelatione sciat Deum esse auctorem certorum librorum, haec autem divina librorum origo non deducatur ex munere apostolatus ut tali, inferri debet: ideo necesse est tenere apostolos hanc specialem conditionem istorum librorum sua orali praedicatione docuisse. Quum publica revelatio morte apostolorum clausa sit, nequit esse sermo de libris inspiratis, qui post eorum aetatem prodierint. Hoc sensu Patres scriptis N. T. vindicabant apostolicam originem adversus haereticos, qui allegabant scripta serius exarata tamquam libros inspiratos. Apostolatus igitur est criterium negativum inspirationis: liber qui ab aetate apostolica originem non ducit, certe non est inspiratus. Patres vero apostolatum spectasse tamquam criterium positivum vel immo exclusivum inspirationis demonstrari non potest. Obstat enim imprimis circumstantia illa, nos possidere libros inspiratos Marci et Lucae, qui non erant apostoli.

Schanz (2) opinatur: Adiutores apostolorum eodem spiritu praeditos fuisse ad praedicandum et scribendum, quo ipsi apostoli repleti erant. « Quoniam constabat, hos apostolorum adiutores ab apostolis edoctos esse, et interius Spiritu Sancto illustratos, eorum scripta sine mora ut inspirata valebant ».

His vero reponunt adversarii: Si hoc sufficit, cur scripta Barnabae, Policarpi et Clementis non recensebantur inter libros inspiratos? Circumstantia haec, id scilicet non contigisse, osten-

(1) L. c., p. 546.
(2) Ibid., p. 551.

dit suppositionem illam rectam non esse. Praesertim epistola Barnabae sub hoc respectu est notatu digna. Apud veteres nemo unquam eius genuinitatem in dubium revocavit. Barnabas in actibus Apostolorum eodem censu habetur ac Paulus, habebatur, et etiam nunc habetur in ecclesia, tamquam apostolus; et si quis spectare eum velit solum ut adiutorem apostolorum, tamen inter hos tenet sine dubio insignem locum. Nihilominus eius epistola a Patribus et ab ecclesia non est agnita ut inspirata et canonica. Aliquem fuisse igitur adiutorem apostolorum, vel apostolum non demonstrat eius scripta esse inspirata.

Ex hoc vero quod charisma inspirationis non censeatur collatum cum ipso munere apostolico, sed tamquam extraordinarium donum sex apostolis et duobus discipulis tantum concessum, intelligitur pariter cur Paulus in priori epistola ad Corinthios, non enumeret charisma inspirationis ad scribendam inter alia charismata. Ibi enim sermo est de charismatibus, quae frequenter, immo ea aetate ordinarie, conferebantur. Ad ea vero non pertinebat inspiratio Scripturae. Neque opus erat apostolum prius demonstrare suam inspirationem, sicuti Schanz loquitur. Satis erat eam praedicare sicuti ceteras veritates. Quum Ioannes librum Apocalypsis prophetiam vocet, cum dicat se a Deo mandatum accepisse scribendi ea quae viderat, fideles tenebantur haec amplecti sicut alia, quae ex auctoritate docebat.

Similiter debuerunt apostoli, etiam quoad reliquos N. T. libros indicare quid ad Scripturas sacras pertineret, nam quae apostoli non tradiderunt, nunquam obiectum fidei catholicae fieri possunt. Quod si apostoli inspirationem librorum N. T. in suis scriptis non pronuntiaverunt, hoc pariter valet et de nonnullis aliis dogmatibus, quae tamen procul dubio ab apostolis praedicata sunt. Praecipuum medium ad conservandas et promulgandas veritates revelatas non est verbum scriptum sed verbum ore prolatum. Traditio vero nobis testatur libros N. T. sub influxu inspirante Sancti Spiritus scriptos fuisse, etsi inspiratio et apostolatus non connectantur inseparabiliter.

Licet igitur connexio utriusque charismatis pro catholicis sit obiectum liberae opinionis, adhuc magis commendatur agendi ratio eorum, qui oppositam opinionem communissime receptam retinent.

EPILOGUS.

Si spectentur opera, quae in lucem prodierunt inde ab anno 1890 circa inspirationem, statim apparet magna diversitas inter disquisitiones protestantium et catholicorum.

Protestantes semper haerent in ipsa illa quaestione: Suntne libri sacrae Scripturae revera inspirati prouti universaliter creditum est usque ad saeculum undevigesimum?

Extra coetum eorum theologorum, qui orthodoxi nominantur, (qui coetus in dies imminuitur) responsio negativa universaliter recepta est. Reapse fere omnes de inspiratione loquuntur, sed reiiciunt omnem inspirationis theoriam, h. e. nomen quidem retinent, sed sinunt unumquemque nomen accipere quo sensu velit. Inspirationem in libris biblicis inveniunt sicuti apud Homerum, Virgilium, Goethe vel Schiller vel apud alium quemlibet melioris notae scriptorem.

Hanc solum differentiam statuunt scriptores biblicos ideis religiosis inspirari, eorumque scripta ad religiosum aestum excitandum idonea esse. Haec autem qualitas pluribus aliis libris communis est. Quare ex hoc capite differentia gradus esse potest tantummodo inter libros biblicos et non biblicos. Quum praeterea multi theologi protestantes addant in aliquibus Bibliorum partibus minimum quid sensus religiosi contineri, iam ex hoc capite plura scripta religiosa extra Biblia sacra fortasse potiore iure inter libros inspiratos computari possent.

Praetermissis opinionibus protestantium theologorum extra Germaniam, item omissis iis, qui se aperte incredulos profitentur, videmus in Germania, extremum agmen sinistrum ducere Ritschilianos qui a conceptu fidei et ethicae christianae tantopere aberrarunt, ut autonomiam Kantianam tamquam Christi doctrinam tradant. S. Paulus dicit: « Arma militiae nostrae, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ». (2 Cor. 10, 4, 5). Ritschilianus vero dicit: Id solum admitto quod intelligo; quod in Bibliis incomprehensibile vi-

detur, omitto; nullum historicum testimonium immo nec divinum satis est, ut meum iudicium subiiciam; nam intellectus meus est mihi suprema regula veritatis. Longe a me igitur doctrina de divinitate Christi, longe a me doctrina Trinitatis, longe a me absit omne superrationale et supernaturale.

Christus ait: « Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere... Manete in dilectione mea; si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea » (Ioan. 15, 5 sqq.). Ritschilianus vero dicit: Christus nullo modo pertinet ad evangelium; quisque est sibi vinea, palmes, fructus; praecepta, quae ab extrinseco proponuntur, nullo modo ad religionem pertinent; quidquid homo ex se ipso non educit, non pertinet ad ordinem moralem. Non est Deus qui hominem iustificet per infusionem suae gratiae, tamquam per principium vitae supernaturalis, sed ipse homo se iustificat coram Deo, per ea quae ex seipso producit. Deus aut gaudet de pulchritudine horum fructuum, aut connivet, si fructus sunt minus boni; hoc est remissio peccatorum vel gratia.

Secundum hanc philosophiam ariano-pelagianam Scriptura ad summum adhuc valet sicut quilibet alius liber pius ad religiosam aedificationem pertinens.

Eius historicae narrationes et sententiae dogmaticae nullum pretium habent, ad religionem quod attinet. Eius dicta tantum valent, quantum possunt excitare in lectoribus religiosa sensa. Quae eiusmodi efficaciam non habent, pro eo qui legit, non sunt verbum Dei.

Etiam Iesus Christus pro Ritschiliano nihil aliud est quam homo insigniter religiosus anteactae aetatis, qui usque ad mortem crucis fideliter servavit sua religiosa sensa. Iesus Christus ut hic homo mortem subiit, et exsistere desiit. Sed in suis ideis adhuc vivit, tamquam exemplar inaccessum religiositatis et moralitatis ad quod respiciunt hominum millia, conantes in seipsis eius ideam religiosam exsecutioni mandare, firmiter confidentes, Patrem in coelis passurum non esse se superari in eiusmodi lucta a potestatibus adversis, sed potius effecturum esse, ut quae intelligunt et volunt, fiant semen fructiferum, quod diu post eorum mortem, a generatione in generationem vivere pergat, ad similia religiosa sensa in aliis excitanda. Haec profecto non

est relatio christianorum ad Christum, sed buddhistarum ad Buddha. Christus hic, sicut Buddha, proponitur ut homo idealis, cuius exemplo quisque ad aemulationem excitari se sentit. Sicut iuxta principia huius theologiae nonnisi interna Dei revelatio aestimatione digna est, non autem externa, ita inspiratio et infallibilitas Scripturae significationem religiosam non habent, haec enim solum continetur in usu Scripturae ad proprium moralem profectum.

Perspicaciores inter eos protestantes, qui magis ad « conservatismum » inclinant, probe intelligunt Ritschilianorum systema admittere idem esse ac sacram Scripturam, Iesum Christum, praecipua dogmata christianae fidei, brevi ipsam essentiam christianae religionis derelinquere. At quomodo praecaventur consectaria, quae ex subiectivismo protestantium proveniunt?

Pauci omnino audent adhuc simpliciter et firmiter adhaerere primitivae doctrinae inspirationis protestantium, et Biblia quoad singula verba respicere tamquam dictatum Dei, cui homo debeat simpliciter subiici per fidem. Sunt adhuc nonnulli qui affirmant singulas Bibliorum sententias omnem hominem bonae voluntatis tali divina claritate percellere, ut statim tamquam verbum Dei probentur et reluceant, ita ut omnem ulteriorem demonstrationem et extrinsecam declarationem superfluam reddant. Attamen isti pauci apud longe maiorem partem eiusdem sectae sodalium non modo definitam oppositionem inveniunt, sed etiam irrisiones et ludibria sustinere coguntur. Obiiciunt eis multas immutationes, quas biblicus textus passus sit, manifestos errores quos Biblia contineant, et interpretationes contradictorias. Praesertim pronuntiant eiusmodi opinionem esse penitus contrariam spiritui lutherano, quum Lutherus ipse, nunquam litteris servierit, sed ut vocatus in libertatem filiorum Dei plures Scripturae partes severo examini subiecerit.

Reapse plerique theologi conservatores non minimam Bibliorum partem ab inspiratione subtrahunt, et criticis permittunt. Solum in rebus quae ad salutem pertinent, aiunt, Scripturam inspiratam esse, et ab errore immunem, ea vero, quae ad salutem non attineant, esse humana additamenta verbo Dei superposita, et ideo Biblia *non esse verbum Dei* sed potius *continere verbum Dei.*

Quae si ita sunt, quaestio succedit de limitibus definiendis. Quid pertineat ad doctrinam salutis, quid sit tantum humanum additamentum? Assertiones quae respiciunt scientias naturales satis facile secernuntur. Difficiliores sunt narrationes historicae. Estne historia patriarcharum veritas salutis an potius fabula? Estne forte semiveritas et semifabula? Debent ne narrationes N. T. retineri cum omnibus suis particularibus circumstantiis? An etiam hic selectio quaedam locum habere debet? Quaenam norma suppetit ad finium determinationem?

Multi nesciunt aliam responsionem eiusmodi quaestionibus, nisi quam dant eorum adversarii e schola Ritschl: sinat quisque Scripturam in seipsum operari, cor nobis suggeret, quid sit divinum et salutare, quid satisfaciat desiderio iustitiae, quid non. Patroni huius theoriae ex agmine conservatorum, ut salvent «veritates salutis» in Bibliis contentas et fidem in eas, aptant Scripturae distinctionem illam, quam veteres theologi lutherani admittebant circa actum fidei, *notitiam, fiduciam, assensum*. Legit quis Biblia recta animi dispositione. Hac lectione cognitionem proxime obtinebit factorum, quae ibi narrantur, et doctrinae quae traditur (*notitiam*). Nonnulla eum forte frigidum relinquunt, alia vero excitant in eo vehementem sensum huius veritatis: Deum scilicet tamquam patrem amantissimum ipsum gubernare, eique peccata dimisisse et in gratiam recepisse (*fiduciam*). Ex hac fiducia exsurgit certitudo, quae narrantur non esse falsa, sed revera nuncium Dei ad homines (*assensus*).

Hac ratione iterum omnia transeunt in subiectivam affectionem. Illud ipsum quod alium vehementer movet, videtur alii res nullius momenti. Alius nullibi invenit meliorem cibum spiritualem, quam in evangelio s. Ioannis, alii idem evangelium videtur periculosa aberratio a primitivo christianismo. Pro ritschiliano hoc totum est omnino indifferens. In materia enim religionis obiectiva veritas nullius est momenti, cum solum quaeratur, quid singulis valeant res in ordine religioso. Quid autem valeat doctrina aliqua vel historica narratio ad singulorum religiosam excitationem, quisque sibi solummodo iudicare potest. Fides igitur et religio nequeunt in diversis eadem esse, sicut nec sunt eaedem subiectivae eorum dispositiones: ex quibus tandem pendet quemnam affectum obiecta in unoquoque excitent. Possunt ad summum,

ad habendam religiosam quamdam unionem socialem, ii qui fere eamdem animi dispositionem habent, inter se convenire, ut ita per ipsam communitatem excitentur nova sensa religiosa. Quae communitas habebit quidem Scripturam generatim uti normam doctrinae, ita tamen ut singulis nulla plane res externa ut lex vitae religiosae imponi possit.

Protestantes autem illi, qui tam extremo subiectivismo non obsequuntur, quaerere debent modum aliquem confirmandi Bibliorum auctoritatem obiectivam. Dispositiones subiectivae, iugiter mutabiles, satis esse nequeunt. Ipsis essentia religionis christianae videtur consistere in factis ad oeconomiam salutis pertinentibus. Fides historica horum factorum et fides in Deum, qui se revelat per eiusmodi facta, est ipsa religio christiana subiective spectata. *Sacra Scriptura est documentum istius revelationis* « demonstratio historica facti et veritatum revelationis huius ». Oportet necessario admittere mirabilia Dei quae in ea narrantur. Cur vero id necessarium sit, hoc conantur diversimode declarare.

Ut plurimum argui solet ex sublimitate idearum religiosarum et moralium, quas nullus homo ex se concipere poterit, ex sublimi prudentia, quae se prodat ex. gr. penes prophetas, quae, cum non possit esse fructus futilis insaniae, fructus inspirationis esse debet, et ex admirabili Scripturae sacrae unitate qua fit, ut sit quasi opus unius auctoris, qui ex primis religionis principiis usque ad eius altissima fastigia nos ducat. Solus Deus efficere potuit hoc opus artis.

Per haec revera non demonstratur inspiratio sacrae Scripturae, sed tantum specialissima cura divinae providentiae circa eventus, qui in Scriptura referuntur. Etiamsi ponamus omnia fideliter ad veritatis normam descripta esse, adhuc non sequitur scriptorem facta vel doctrinas, quae refert, scripsisse sub influxu divinae inspirationis. Sic enim Scriptura est quidem liber genuina documenta continens; an vero ispiratus sit necne, id omnes illae considerationes non manifestant. *Loco inspirationis Scripturae substituitur inspiratio personalis*, cuius expressiones in Scriptura inveniantur. Nihilominus eiusmodi acceptio Scripturae, qua sumitur ut liber continens documenta de factis salutis, latissime praevalet apud protestantes conservatores, licet evidenter secundum hanc opinionem aliquae partes Scripturae minoris pretii

videantur. Facile dicitur, ideam biblicam esse viam ad beatitudinem per Christum. Sed ubinam continetur haec idea, in libro Iudicum, Esther vel Ecclesiastis etc.? Si Biblia sunt solum liber documentorum, ut documentum scriptum sunt opus humanum, et forte defectibus et erroribus inquinatum. Recurrendum est igitur iterum ad criteria subiectiva ut discernatur, utrum aliquid ut salutare vel non salutare agnoscendum sit. sententia frequenter repetita: " quod inspirat, est inspiratum ", non semper adhiberi potest in favorem Bibliorum, non pauci enim praeferrent sub hoc respectu librum " imitationis Christi " nonnullis sacrae Scripturae partibus.

Utique dicunt, scripta religiosa posteriora Bibliis innituntur, igitur in quolibet casu haec primatum obtinebunt ob temporis prioritatem. Sed evolutionistae inter theologos protestantes in hoc non agnoscent absolutam praelationis causam, cum etiam in rebus ad religionem spectantibus putent procedi de bono minori in melius, ita ut, quod posterius est, sublimiorem evolutionis gradum exhibeat.

Quare nonnulli conati sunt conceptum documenti revelationis roborare per notionem *auctoritativae praedicationis salutis*. Sacra Scriptura a suis lectoribus absolute postulat, salutem in Christo testificatam accipere, et comminatur, ei qui eam nolit recipere, culpam et poenam. Iamvero in hoc authentico testimonio est virtus Spiritus Sancti qui, cooperando cum verbo scripto, testimonium reddit, se esse auctorem principalem Scripturae, non profecto quoad sententias omnes, sed in quantum per modum totius est praedicatio salutis. Valedicitur autem infallibilitati Scripturae quoad casus particulares. Quum multi praeterea legant Scripturam quidem absolutam fidem sibi postulare rerum quas pronuntiat, nullum vero se testimonium internum sentire affirment, quo moveantur ad eiusmodi assensum praebendum, immo saepe omnino contrarium, theoria innixa *interno testimonio Spiritus Sancti* nullum habet fundamentum. Nunc autem sententia illa in dies magis ac magis praevalet, ut quis Christianus sit, nihil referre quid de Bibliis sentiat, sed potius id unice exigi ut cum Christo coniungatur, ad hanc vero coniunctionem non requiri professionem alicuius theoriae circa inspirationem vel infallibilitatem Biblio-

rum. Quoad haec posse unumquemque permitti censere quid velit, dummodo semper Christo adhaereat. Centrum christianae religionis non esse Scripturam sed Christum; contra hoc tamen recentissima theologia proclamat, christianae religionis centrum esse Deum non autem Christum, in Bibliis hanc unam esse sententiam ad religionem constituendam gravissimam: Deum esse patrem nostrum et nos esse eius filios.

Pastor lutheranus Rohnert absolvit suam historicam expositionem doctrinae inspirationis per haec verba: « Possunt revera haec exempla satis esse. Habetur certo eminens ac tragicum specimen cuiusvis theoriae et phantasiae, quae alicui occurrere possit, circa Scripturam et inspirationem; verum *calcidoscopium* in quo omnis generis immagines ac figuras mutari liceat; iustus laberinthus opinionum et sententiarum diversissimae rationis. Quomodo dirigetur, hunc laberinthum discurrens, theologiae tiro inexpertus, qui in studiorum Universitate se parat ad munus parochi exercendum? Quomodo hunc dissensum prae oculis habens pervenire poterit ad firmam et certam fidem in divinitatem sacrae Scripturae? Nonne debet tristi hoc facto deceptus, praeclarissimos quosque theologiae et scientiae professores hodie, fere sine ulla exceptione, reiicere veterem ecclesiae doctrinam inspirationis, Biblia erroris incusare et eorum divinam suggestionem partim per prudens iudicium religiosum definire, partim per divinam conscientiae excitationem, partim per sublimem illustrationem, partim per superiorem influxum, directionem, custodiam, etc.; nonne debet hunc sensum et praeiudicium efformare, credibilitatem Scripturae pessime se habere, et debilissimis rationibus inniti, ac si Biblia proprie non multo plus essent, quam alius quilibet liber humanus, quum ab erroribus non sint immunia? »

« Quomodo poterit cum tali Scriptura in exercitio sui muneris animabus salutem cupientibus coelorum iter indicare, qui ipsemet solido fundamento non innitatur? Cum talibus Bibliis debet afflictis, tentatis et morientibus consolationem impertiri, consolationem quam ipse non credit, neque habet, postquam in universitate didicit, Biblia respicere ut librum documentorum, qui solum verbum Dei continet, et in quo praeterea etiam mul-

tum humani et errati occurrit? — O qualis calamitas, qualis desolatio in santa civitate!...» (1).

Huc devenit protestantismus ille, qui ab initio se tamquam socio in bello contra ecclesiam Bibliis uti posse existimabat, dein vero cepit mortuum librum tamquam cadaver tractare et dissecare, usque dum tandem non remaneant nisi frusta, quae inter se non cohaerent, quibus unusquisque pro lubitu uti potest.

Alia prorsus imago nobis sese offert penes catholicos, etsi etiam hic satis adsit non solutarum quaestionum et diversarum opinionum. Quoad essentialia doctrinae capita reapse plena unitas obtinet, et relate ad controversas res omnes parati sunt plene se subiicere cuilibet doctrinali ecclesiae definitioni.

Catholica ecclesia sacram Scripturam tamquam divinum legatum fideliter custodivit. Non sinit ex Bibliis quidquam in controversiam vocari vel subtrahi, nec quoad formalem rationem inspirationis, neque quoad res materialiter sub ea contentas. Secundum eius doctrinam sacra Scriptura est liber divinitus inspiratus et immunis ab errore, quoad totum et quoad omnes suas partes, quia Deus per influxum supernaturalem in humanos scriptores eam tamquam opus suum edidit, et omnes eius doctrinas et sententias veras esse et ab errore immunes testatur. Hanc fidem ecclesia ab apostolica praedicatione accepit, et saeculorum decursu usque ad nostra tempora custodivit et contra omnes oppugnationes defendit. Potissimum argumentum ad demonstrandam divinitatem Scripturae est ecclesiastica traditio, in qua Spiritus Sanctus inde a prima die Pentecostes iugiter operatus est et operatur, ut homines dirigat in omnem veritatem. Quod Irenaeus olim contra oppugnationes haereticorum inculcavit, idem hodie valet. Hoc nobis ab initio traditum est, hoc firmiter retinemus, fides nostra est fides quam apostoli ex mandato Christi promulgarunt, illi soli promissa est salus.

Quatenus igitur indoles sacrorum librorum tamquam scriptorum inspiratorum est obiectum certae doctrinae dogmaticae, i. e. quoad essentiam rei, catholici theologi unanimiter conveniunt.

(1) Rohnert, *Die Inspiration der Heiligen Schrift* (Leipzig, 1889), p. 277 sq.

Quum ita res se habeat, investigationes circa processum psychologicum inspirationis, circa inspirationem rerum vel etiam verborum, circa criteria inspirationis et similia, utiles quidem sunt, ut conceptus omni ex parte declaretur, sed sunt quaestiones accidentales per quas doctrina circa originem divinam et infallibilitatem sacrae Scripturae nullo modo in discrimen adducitur. Immo sunt tam accidentales, ut ecclesia vix unquam eas decreto doctrinali authentico definiandas iudicatura sit.

Est autem genus aliquod investigationum, quod interest et magni interest catholicorum thologorum, quod directe et immediate nihil refert ad doctrinam inspirationis, at interdum cum ea confundi contingit. Liceat igitur circa earum differentiam quaedam denuo addere.

Per hanc doctrinam, Deum esse auctorem principalem sacrae Scripturae, non solvitur imo nec quidem attingitur quaestio, num hic vel ille textus biblicus sit authenticus, num haec vel illa lectio sit recta, qua aetate liber aliquis exaratus sit, quis eum scripserit, ad quod genus literarium pertineat, num sit historia vel poesis etc. Quaestiones eiusmodi interdum *mediate* ad inspirationem referri possunt, quatenus ex. gr. constat, non ex conceptu inspirationis sed aliunde, librum scriptum post mortem apostolorum non pertinere ad Scripturas inspiratas et canonicas, vel quatenus aliqua ex his quaestionibus in aliquo libro inspirato resolvatur. Ceterum ex conceptu inspirationis nulla ex his quaestionibus solvi potest, sed res est quae ad artem criticam pertinet. Sive arte critica determinetur huic aetati potius quam alii aetati librum esse tribuendum, sive hic potius quam ille eius auctor probetur, sive ad hoc potius literarium genus pertinere demonstretur quam ad aliud, liber semper pari ratione inspiratus esse potest. Si vero opinio aliqua critica Scripturae contradicat, errorem Scripturae tribuit, et consequenter inspirationem negat; quum haec errorem omnem excludat. Scriptura ipsa etiam in suis libris posterioribus dicta continere potest, per quae resolvantur quaestiones criticae circa libros anteriores. Ubi in evangelio legimus verba illa Christi, David in Spiritu de Messia dixisse: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis » (Marci 12, 36), sequitur haec verba a David revera originem ducere. Contraria igitur assertio adversaretur immediate veritati

in Scriptura contentae et mediate eius inspirationi. Itaque valet quidem haec conclusio: ubi Scriptura ipsa quaestionem criticam resolvit, huic solutioni standum est. Nullo modo autem valet haec alia conclusio: Scripturae sunt inspiratae, ergo non sunt artis criticae obiectum, vel: consueta methodus criticae rationabilis hic locum non habet. Sollicitudo illa, ne forte critica ars ut talis indoli supernaturali librorum sacrorum repugnet, minus recta est. Reapse hoc vix unquam generaliter et aperte edicitur, quum contradicat praxi catholicorum exegetarum inde ab aetate Patrum; attamen eiusmodi timor huc illuc percipitur, ubi primum aliqua nova quaestio critica exsurgit, de qua forte antea non cogitabatur. Quapropter magni interest hoc semper compertum habere, inter inspirationem et artem criticam oppositionem nullam esse. Multo difficilior frequenter est quaestio, quae ob novas investigationes criticas exsurgit, quousque nimirum nos obligent sententiae illae traditionales quae hucusque invaluerant; nam quum ex fontibus revelationis quaestio critica cogenti ratione definitur, nullum dubium manere potest. Quatenus vero id non contingat, manet scientiae plena libertas operationis.

Idem valet quoad exegesim. Inspiratio alicuius textus et eius declaratio sunt duae res omnino diversae. Encyclicae *Providentissimus Deus*, quae tam clare et definite inspirationem et infallibilitatem sacrae Scripturae enuntiaverunt, obnixe pariter inculcant, exegetarum praecipuum munus, hac doctrina retenta, hoc esse sacram Scripturam recte et accurate exponere. Textus aliquis igitur, ex eo quod est immunis ab errore, non habet hoc ipso interpretationem sine errore, et vicissim potest aliqua interpretatio, licet forte late recepta, reiici ut erronea, quin eo ipso impugnetur quomodocumque infallibilitas textus. Iam magni theologi mediae aetatis indicaverunt, quam gravi periculo se exponat, qui suam interpretationem Scripturae statuat ut unice possibilem et alios ad eam recipiendam cogere velit. Cum recentior aetas nova adiumenta attulerit ad interpretationem alicuius textus, quae olim deerant, mirum non est, nec peccatur contra catholica principia, si alia diversa interpretatio proponitur. Nec sancti Patres, nec magni exegetae vel dogmatici theologi putarunt se omnem obscuritatem Scripturae sacrae removisse, et suam expositionem in sempiterna tempora immutatam manere

debere et omnem progressum excludi. Contra Scriptura sacra usque ad consummationem saeculi inexhaustam fodinam offeret, ex qua novos in dies thesauros haurire licebit, qui antea forte nec in suspicione essent. Quod si Deus noluisset, inde ab initio ita sacras Scripturas disponere potuisset, ut nulla interpretatione indigerent, vel una cum textu etiam commentarios inspirasset, vel iuxta exigentias temporum novas revelationes circa sensum verborum Scripturae ecclesiae suae communicaret. Hoc non fecit, sed sicut in toto ordine supernaturali cooperationem hominum exegit, et sua assistentia ecclesiae cavet, ne in definitionibus supremae auctoritatis circa sensum Scripturae errorem incurrat. Cum haec assistentia non sit nova revelatio, sed solum directio in usu mediorum sive naturalium sive supernaturalium, quae Deus contulit ad veritatem inveniendam, ideo ecclesiae etiam necessaria est scientiae cooperatio; et per scientiae progressus, profectus etiam theologicae cognitionis in ecclesia datur. Exegesis autem et generatim theologia scientifica utuntur naturalibus cognitionis mediis, quae praesens aetas suppeditat. Theologica cognitio igitur neque immutabilis neque infallibilis est, nisi quatenus connectitur cum ipso ecclesiae magisterio, et per hoc ab errore immunis servatur. Frequentes mutationes et correctiones, quas subiit interpretatio multorum locorum Scripturae decursu saeculorum in comperto sunt apud omnes. Sufficit inter se comparare unius eiusdemque libri inspirati commentarios saeculo V, XIII, XVI et recentiori aetate.

Usquedum eiusmodi evolutio suum regularem cursum tenet, et lapis super lapidem aedificio adiungitur, vel reparatur, hic profectus et haec immutatio normalis eventus censentur. Accidit tamen aliquando novitatem aliquam gravius commovere animos et attentionem ad se revocare. Nova quaedam deteguntur alias ignota, quae in usum adducere difficile est sed necessarium. Acrioris ingenii vir audaci detegit manu infirmitatem persuasionis scientificae, quae ad illam diem praevalebat. Opinionibus olim omnibus gratis detrahitur, ideae quae late obtinebant evertuntur. Commotio accidit, incertitudo et similiter mutua diffidentia, contentiones et vehementiora certamina obtinent.

Plusquam semel exegesis similes tempestates subiit. Quum s. Hieronymus conaretur ope textus hebraici corrigere *textum*

tunc *receptum* versionis latinae, pluribus in locis gravis commotio in ecclesia orta est, de qua praefationes et epistolae huius magni exegetae diserte testimonium reddunt. Attamen licet yperconservatorum turbam gravibus ictibus impetisset, nihilominus nonnisi post diuturnum tempus, eius opus victoriam consequi potuit contra versiones antiquiores minoris pretii. Ecclesia autem tandem hanc utilitatem obtinuit, possidendi scilicet in vulgata latina versionem in suo genere eximiam. Alias commotio exorta est opera hostium ecclesiae, uti accidit ex. gr. sec. XVI, quum adversarii textum originalem obiicerent et res in sacris libris contentas et eorum interpretationem ita exhibere conarentur, ut ecclesia prae oculis omnium erroris convinci videretur. Sed etiam eiusmodi hostiles incursus in ecclesiae utilitatem cesserunt, occasio enim fuere editiones criticas accuratiores comparandi, et opera exegetica fere innumera et ex parte etiam vere classica producendi.

Similis commotio nostra aetate accidit. Postquam scripturas cuneiformes et hierogliphicas interpretari licuit, novi fontes historici detecti sunt, qui frequenter arctam habent connexionem cum narrationibus historicis V. T. Praeterea critica instructa omnibus adiumentis, quae moderna scientia suppeditat, audacissima methodo suas vires dirigit contra omnes partes Bibliorum, et non raro sensu manifeste hostili supernaturali ordini. Idcirco talis problematum et quaestionum novarum cumulus modo catholicis exegetis proponitur, qualis forte nunquam antea. Impossibile autem est scientiam tam complexam, uti exegesim, una cum introductionibus aliisque scientiis auxiliaribus, quae ad eam spectant, extemplo modernam reddere sensu recto huius vocis. Inde molestiae sensus.

Adversariis aliquo sensu parum negotii id facessit, quum vetusta opera destruant, ut nova, utpote moderna, substituant. Idcirco componunt ut plurimum solum species quasdam imaginarias, quae tam cito evanescunt, quam construuntur. Hoc in itinere eos sequi catholici non possunt. Quoad ipsos non agitur de modernis vel antiquis rebus, sed de veris aut non veris. Scripturae interpretationem et expositionem in sua totalitate et quoad partes essentiales, prouti in ecclesia catholica usque ad nostram aetatem invaluerunt, non posse esse falsas, omnino constat. Ca-

tholicus exegeta non potest labores anteactae aetatis contemnere et novum aedificium a fundamentis erigere. Munus ei incumbit coniungendi nova cum veteribus apta quadam ratione, loca vitiosa corrigendi et materias nuper acquisitas ad usum amplioris aedificii recto artificio convertendi. Hoc est valde difficilius, quam ex fragmentis veterum aedificiorum novum ad libitum construere.

Ideirco nequit scientia biblica apud catholicos procedere eodem turbulento motu, quo critica et exegesis apud rationalistas, qui nullis eiusmodi rationibus coarctantur. Viro docto catholico debitum incumbit, intimius perscrutandi, quid ex novis hisce elementis materia solidi aedificii esse possit, quid solum massa fragilis levium assertorum et falsorum suppositorum. Debet nova veteribus comparare et investigare, utrum cohaereant simul necne.

Nil mirum, si nonnulli perturbantur, dum aspiciunt copiam et multiplicitatem laboris, qui proponitur, et si nonnunquam inconsulta festinatio in errores inducit. In tali communi commotione, si quid simile accidit, non nimis graviter ferendum neque de bona voluntate statim male suspicandum est, quum etiam per optimam voluntatem non possint statim comparari illa pax et secura doctrinae possessio, quae tantum diuturni et gravis laboris fructus esse possunt. Vivimus etiam quoad scientias biblicas transitionis aetate, quae profecto non offert tranquillum gaudium quasi de facinore feliciter confecto, sed potius ad operositatem irrequietam impellit, unde fit, ut per fluctuationem mutuam virium concurrentium ad idem propositum non raro conflictus ingrati enascantur, quum opus quod quisque perficere satagit, nulla ratione clara et aspectabili forma prae oculis habeatur. Id potest molestiam, impatientiam, animi deiectionem, et consternationem afferre. Aliquis forte mente turbatur, et credit omnia perdita esse; alius vero putat tempus advenisse ostendendi se hominem idoneum esse ad reformandas opiniones antiquatas, etsi ingenium et prudentia ad hoc munus ei desint. Mirae elucubrationes in eiusmodi adiunctis deesse non possunt. Ut probe intelligitur in hoc negotio rectum propositum, hoc est, tranquille et diligenter labori incumbere, et absolute confidere praevalenti virtuti, quae veritati inest.

Numquam gratias satis reddere possumus divinae providentiae, quae signanter hoc tam periculoso transitionis tempore

tam clare constituit medullam doctrinae inspirationis, nimirum divinam originem omnium partium sacrae Scripturae, et infallibilitatem quae inde consequitur, ita ut viro catholico non sit amplius dubitandi locus. Novimus etiam sacram Scripturam non irrevocabiliter nobis periisse, sed in nostra possessione adhuc manere. Quidquid critici et exegetae effecerint, nunquam nobis Biblia e manibus eripient, quod attinet eius essentialem integritatem, neque eius divinam originem aut veritatem cum successu impugnabunt.

Spiritus Sanctus, qui nobis inspirationem et veritates in Scriptura sacra contentas testatur, efficit etiam per veritates nunc primo detectas vel melius cognitas dirigi homines bonae voluntatis ad penitiorem et pleniorem in dies intelligentiam, et ad maiorem in dies aestimationem suorum Librorum Sacrorum. Ipse iugiter est principalis magister in ecclesia; et si spiritus hominis se eius directioni committit, et ab eo illustratur et roboratur, summopere habilis fiet ad discernendum et vitandum, quod in humana scientia fallax est, et ad fructus bonos reponendos in aeternis tabernaculis, animus vero inflammabitur ad virtutis incrementum et ad amorem divinum obtinendum: " Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum ".

Nota latini interpretis ad § VII.

Quae Rev. P. F. Prat S. I. respondet argumentis auctoris in quadam recensione huius opusculi (edit. germanicae) in ephemeride *Études religieuses* d. 20 maii 1903, nihil novi afferunt contra doctrinam Cardinalis Franzelin, nisi forte hanc animadversionem formulam illam, *Deum esse auctorem Scripturae*, inaccuratam esse. Siquidem, ait, concilium Carthaginense IV, in quo primo formula illa occurrit, eam dirigit contra Manichaeos: « Credimus etiam N. et V. T. Legis et Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ». Propositum igitur erat docere V. T. non ab alio principio esse, sed ab eodem uno Deo O. M. — Porro quid ex hoc quaeso? An qui dicit unum eumdemque Paulum esse patrem Caii et Sempronii non affirmat forte Paulum esse patrem utriusque? Profecto adiectum *unum* non supprimit sensum substantivi *auctoris*, sed eum inculcat, simul excludens omne aliud subiectum praeter Deum ab eius communione. Quod si Rev. Patri videtur emphasis cadere super vocem *unum*, id potius ostendit formulam illam « Deum esse auctorem Scripturae », esse anteriorem concilio Carthaginensi IV, atque in communi usu Ecclesiae receptam, et ab eo concilio adhibitam fuisse contra Manichaeos addita voce « unum ». Insuper in examine episcoporum, quod habetur in Pontificali Romano, formula illa concilii (vulgo) Carthaginensis IV, ita exhibetur: « Credis etiam N et V. T. Legis et Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum Omnipotentem? Credo ». Ibi autem emphasis videtur potius cadere super « Deum auctorem », nam ad hoc substantivum sub illa attributione revocatur attentio per ulteriorem amplificationem « Dominum, Omnipotentem ».

Mirum deinde est quod Rev. Pater animadvertit circa definitionem vaticanam: « Quand donc le concile du Vatican omet ce mot *unus*, il est probable qu'il faut le sous-entendre » (l. c. pag. 557). An serio vult nobis persuadere concilium Vaticanum voluisse definire contra Manichaeos unum eumdemque Deum esse auctorem utriusque testamenti? Nonne evidenter apparet, ex verbis ipsis, decretum vaticanum naturam inspirationis declarare? Siquidem dicit: « Eos vero (libros in canone tridentino contentos) Ecclesia PRO SACRIS ET CANONICIS HABET, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; SED PRO-

PTEREA, QUOD SPIRITU SANCTO INSPIRANTE CONSCRIPTI, DEUM HABENT AUCTOREM, atque ut tales ecclesiae traditi sunt». Quibus verbis concilium reiectis opinionibus eorum qui inspirationis conceptum ita extenuabant, ut eum reducerent vel ad subsequentem approbationem librorum, vel ad meram originem divinam veritatum, quae in Scriptura continentur, tradit eatenus ecclesiam hos libros tamquam sacros habere, quatenus «Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem». Iamvero qui exponens alicuius doctrinae rationem reiicit falsas notiones, et eis opponit id quod reapse in ea re retineri debeat, vulgo etiam intelligitur velle genuinam conceptus definitionem tradere; en igitur concilium Vaticanum definit inspirationem sacrorum librorum haberi ex eo divino influxu, quo efficitur eos Deum habere auctorem: «Sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem».

Praeterea extant, in collectione Lacensi vol. VII, acta concilii Vaticani, de quorum genuinitate nullum amplius suppetit dubium.

Porro si conferatur primum schema constitutionis dogmaticae de fide catholica cum ipsa constitutione edita in sessione tertia, apparet quoad hanc materiam de inspiratione librorum sacrorum nullam essentialem immutationem esse factam. Legitur enim (l. c. col. 72): «Eos vero ecclesia non propterea pro sacris et canonicis habet, quod auctoritate sua approbati sint, licet sola humana industria concinnati; aut ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed ideo, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae per Apostolos traditi sunt». In textu definitivo omissa est tantum phrasis *per Apostolos*. Patres vero deputati ad emendationem schematis constitutionis de fide, novum schema emendatum offerentes concilii Patribus, has explicationes addunt quoad hanc partem: cap. II, § 4 (l. c. col. 79 sq.): «De sacrorum librorum inspiratione tenetur doctrina concilii Florentini et Tridentini, atque illud tantum reiicitur quod eidem aperte adversatur. Etenim concilium Tridentinum (s. IV) agendo de libris veteris et novi testamenti, Deum dicit utriusque testamenti "auctorem" eo sane sensu, quo Florentinum (in decreto pro Iacobitis), ad quod Patres tridentini respiciebant, "eumdem Deum utriusque testamenti auctorem" dixerat. Florentinum autem, quo sensu Deum *auctorem* appellet, explicans addit: "Quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur..." Quibus verbis Patres illi omnem suspicionem a se removent, emphasim constituendi in voce «unum» in interpretatione decretorum Florentini et Tridentini, immo, ut videtur, etiam demonstrant se merito interpretari eam formulam «Deum esse auctorem sacrae Scripturae», tamquam eam quae rationem reddat inspirationis sacrorum librorum.

Deinde Revmus Gasser episcopus Brixinensis, in relatione ad Patres concilii circa schema emendatum, cap. II haec quoad rem nostram habet (l. c. col. 141): «His negative dictis de notione inspirationis, iam positive dicitur quid sit inspiratio et quidem quoad characterem internum, scilicet

quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habeant auctorem; et deinde quoad characterem externum, quod ut tales ecclesiae per Apostolos traditi sint». Habemus igitur in ipsa propositione schematis Patribus concilii facta, expresse declaratum esse verba illa, «quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem», indicare essentiam inspirationis, scilicet eam esse talem influxum divinum in scriptorem sacrum, quo fiat librum ab eo exaratum Deum habere auctorem. Porro Patres concilii schema ita declaratum definitiva sententia probarunt, ergo verba illa decreti secundum hanc declarationem intelligenda sunt. Siquidem Patrum sententiae rogantur in conciliis determinata ratione, an placeat nec ne schema propositum, modo quo proponitur: quidquid sit igitur de interno sensu uniuscuiusque, mens Patrum quae legem credendi constituit, ea est quae per verba decreti exprimitur iuxta modum quo Patribus fuit propositum.

His positis apparet omnes illas considerationes circa ambiguitatem et inopportunitatem illius locutionis «Deum esse auctorem librorum sacrorum», etiamsi veritati inniterentur, locum amplius non habere. Non agitur enim de lege condenda, sed lex credendi iam condita est, et ad eam pertinet illa declaratio.

Ceterum iuverit animadvertere non agi hic de sensu vocis «auctoris», quae, ut de omnibus pene vocabulis contingit, diversam significationem ex contextu et diversitate phrasis obtinere potest, sed de sensu huius locutionis «auctorem esse alicuius libri». Porro si lexica consulamus en invenimus apud Forcellini sub hac voce n. 4: «Speciatim sumitur saepissime pro scriptore, *scrittore, autore.* Cic., 12, Att. 18: «Lectitare auctores». Sveton., Aug., 18: «Evolvere auctores». Id., Gramm., 8: «Evulgare libros nomine auctoris». Liv., 2, 8: «Invenire apud auctores». Id., 29, 27: «Discrepat inter auctores». Tacit., 3, Annal., 30: «Sallustius rerum romanarum florentissimus auctor *istorico*...». Cic., Mur., 14: «Ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus...». Quae exempla satis esse possunt ad ostendendum minus accuratam esse hanc Rev. P. assertionem: «Il est surtout essentiel de noter, pour prévenir des confusions fâcheuses, que le français *auteur* n'est pas l'équivalent du latin *auctor*... Auteur, chez nous, veut dire ordinairement écrivain, et quand nous traduisons la formule: *Deus est auctor* par *Dieu est auteur*, nous lui ôtons son indétermination un peu aux dépens de l'exactitude» (l. c. pag. 557 s.).

At si classicos scriptores omittamus, nullum dubium esse potest in usu ecclesiastico phrasim hanc «auctorem esse alicuius libri» sensum habere valde definitum et minime ambiguum. In hac ipsa quaestione de libris sacris, tum a veteribus tum a theologis posterioribus quaeri solebat ex. gr. quis esset auctor libri Proverbiorum, vel epistolae ad Hebraeos, Moyses asserebatur auctor Penteuchi etc.; et sensus quaestionis supponebatur ex communi usu omnibus in comperto esse. Si igitur in decretis conciliorum deprehendimus Deum dici auctorem librorum sacrorum, et simul eosdem libros tribui humanis auctoribus Spiritu Sancto afflatis,

concludendum est Deum esse auctorem principalem, et hagiographos auctores instrumentales. Ubinam est hic ambiguitatis ratio?

Contra phrasis illa « Verbum Dei » est mirifice ambigua novisque opinionum portentis valde accomodata. Nam imprimis dicitur etiam de *verbo Dei* praedicato, quod certe in casu particulari erroris possibilitatem non excludit; sed praeterea sensu maxime proprio et formali dicimus traditionem apostolico-dogmaticam esse verbum Dei traditum, at nihilominus nemo suspicatur verbum Dei traditum esse inspiratum, licet infallibiliter revelationem divinam per apostolos traditam conservet. Ideo quae sunt obiectum universalis ecclesiae magisterii in re fidei et morum, accipere debemus uti verbum Dei, etsi probe sciamus pastores ecclesiae neque singillatim neque collective sumptos esse inspiratos.

Denique in encyclica « Providentissimus Deus » ratio doctrinae inspirationis redditur per enuntiationem illam « Deum esse auctorem librorum sacrorum ». Ita ex. gr. pag. 36 sq.: « Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt: tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris *auctorem* esse ». Et dein, adducta auctoritate concilii Vaticani, subdit: « Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, *non quidem primario auctori*, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit ». At speciali consideratione dignum est gravissimum monitum, quod Pontifex in fine epistolae dirigit eruditis studiorum biblicorum cultoribus pag. 40: « Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium eumdem esse *Scripturarum auctorem* ». Quibus verbis comparare liceat conclusionem articuli Rev. P. Prat (l. c. pag. 557): « En résumé, la formule: *Deus est auctor Scripturae*, bien que juste et vraie dans ses trois sens différents, nous semble offrir plusieurs désavantages: 1° elle est équivoque; 2° elle fait reposer une thèse capitale sur un sens figuré du mot *auctor*; 3° elle ne s'établit pas sans quelques artifices, comme est celui de négliger dans les textes le mot principal ». Post haec ab ulteriore animadversione consulto abstinemus.

INDEX NOMINUM.

Augustinus, 46.
Baronius, 13.
Bellarminus, 44.
Brandi, 37.
Brucker, 16 nota, 37, 50, 76 s.

Chauvin, 80 s., 87 s., 94 s. 99 s.
Chrysostomus, 44 s.

Clarke, 34.
Corluy, 43 ss.
Cornely, 52.
Desprès, 31.
D'Hulst, 12 ss., 27 ss.
Dick, 81.
Didiot, 13 s., 17 nota.
Dillmann, 69.
Durand, 75.
Egger, 48 s.
Eufrasio, 37.
Eusebius, 45.
Franzelin, 85, 91 ss.
Grandclaude, 16 nota.
Granderath, 52 nota.
Haidacher, 103.
Hejcl, 100 ss.
Hieronymus, 99.

Hilarius, 67 nota.
Holzhey, 46 nota.
Höpfl, 69 nota.
Horst, 69.
Houtin, 25 nota.

Iaugey, 16 nota.
Kayser, 68.
Knabenbauer, 94, s.
Lagarde, 23 nota.
Lagrange, 36, 55, ss., 61 ss., 81, 89 ss.
Lenormant, 14.
Leo XIII, 17 ss., 20 s. nota, 30 s., 57 nota, 107, 123, 132.
Leitner, 105 ss., 110 s.
Loisy, 29 ss., 31 s.
Lucas, 34.
Mc Nabb, 58 nota, 82 s.
Mignot, 73 ss.
Newman, 13.
Nisius, 41 ss., 49 ss., 56 nota.
Patrizi, 43.
Pius IX, 32.
Poels, 86 s.
Prat, 69 ss., 86 s., 129 ss.
Reuss, 68.
Robert, 36.
Rohnert, 120 s.
Savi, 16 nota.
Schanz, 51 s., 68 s., 106 ss.
Schmid, 43.
Thomas Aquinas, 23 nota, 57 nota, 60 nota.
Vacant, 51 nota.
Van Kasteren, 86 s.
Vernes, 69.
Wellhausen, 68.
Zanecchia, 86, 89 nota, 93 ss.

INDEX RERUM

PAG.

Monitum 5

Praefatio 7

I. Nova quaedam schola libere sentiens 11

II. Litterae Summi Pontificis 17

III. Assentientes et obluctantes 27

IV. Argumenta theologica quibus innititur inerrantia sacrae Scripturae 38

V. Auctoritas Patrum in interpretatione textuum, qui de re agunt, quae ad scientiam profanam attinet 48

VI. Inspiratio, critica et exegesis 54

VII. Influxus divinus in intellectum sacri scriptoris. 77

VIII. Sola inspiratio rerum an etiam verborum? 88

IX. Estne Apostolatus criterium inspirationis? 104

X. Epilogus. 114

Nota latini interpretis ad § VII 129

Index nominum 133

OPERIS APPROBATIO

Cum versionem ex originali germanico operis, cui titulus est: "Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis penes catholicos auctore Christiano Pesch, S. I.", a P. Felice Pignataro nostrae Societatis sacerdote latino idiomate confectam aliqui eiusdem societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, 24 Iunii 1903.

Augustus Ferretti, S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi Ord. Præd.
S. P. Ap. Magister.

IMPRIMATUR
Josephus Ceppetelli, Patriar. Constantinopol.
Vicesgerens.

18581
220.15
P 437
PESCH, Christianus, S.J.
*AUTHOR
Apparatus ad Historiam Doc-
TITLE
rinae Inspirationis penes Cathos
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUM
Leal
MAR
Feb 67
STOR
18581